




Vg
3717





270.



INE-
 THICA ARISTO
 TELIS COM-
 MENTARI-
 VS PHI-
 LIPP,
 MELANCHTHO.
 Vviteberge,
 1529.

XVII, 372.





Pom Vg 3717, 80

218 111

IN ETHICA ARISTOTELIS
PHILIPPI MELANCH.
ENARRATIO.



I ALIAS ARTES PROP-
ter utilitatem admiramur, ut Medici-
nam aut Architectoniam, merito place-
re nobis & hæc ars debet, quæ uirtu-
tum descriptionem continet, quia non minores utilita-
tes ad uitam affert, quam quæuis alia. Primum enim
priuatim animos discantium à barbarie ad humanita-
tem (hoc est, ad ciuilia officia, & ad communem so-
cietatem colendam) traducit, quia, qui hanc descrip-
tionem norunt, tanquam explicatam uim uirtutum ac
pulchritudinem propius intuentur quam indocti, magis
igitur commouentur ad omnia uirtutis officia præstan-
da. Ab eunt enim studia in mores. Deinde hæc ipsa do-
ctrina peperit leges & omnem rationem gubernanda-
rum rerum publicarum, Hac enim doctrina illi ipsi
scriptores legum quibus hodie utimur instituti fuerunt,
& res ipsa loquitur publici iuris elementa et semina in
his Philosophorum disputationibus contineri. Cum igitur
& ad priuatos mores formandos & ad iudicanda
ciuilia negocia, & publicarum legum intellectum, hæc
ars conducat, facile intelligi potest magnas & multipli-
ces utilitates ex ea colligi posse.

A

2

Secum

Secundo, si quæ laus est Herbe alicuius aut Gemme naturam cognoscere, Ponatur etiam in laude, hominis naturam peruidere & perspicere, quid in ea sit optimum, & quo nos uocet ipsa aut ducat ratio nostra. Quid aliud est lapidum aut fruticum uires inquirere, obseruare syderum cursus, nec interea uocem nature intra nos ipsos indicantis rectam uiuendi formam exaudire, quam quod ait Poeta, foris sapere, domi plane dormire? Nam hæc Philosophorum doctrina nihil aliud est quam nature nostre quædam ueluti pictura, & sicut apud Medicum est reperire depictam gemme figuram, colores, uires. Ita hic est uidere descriptos motus quosdam, & quasdam opiniones insitas humanis animis, quæ ostendunt, quæ sit recta ciuilitate uiuendi uia, atqui hæc ipsa cognitio uel si nihil haberet utilitatis, tamen homine dignissima & liberalissima iudicari debebat, quæ est enim in hac tota rerum natura res melior atq; prestantior, quam uel uirtus uel sapientia, uel ueritas, estq; uerissi. quod Plato scripsit, fore ut uehementes amores sui excitaret uirtus, si quod simulachrum eius in oculos incurreret. Profecto enim nullum spectaculum est quod perinde capiat animos atq; delectet ut uirtus, si propius aspicere contigerit. Præterea illæ ipsæ noticiæ, quas natis in animis hominum Philosophi deprehenderunt, Deidona sunt ut Paulus docet ad Roma. 2. id quoq; inuitare nos ad cognoscendum de

dum debet, ne Dei dona contempisse uideamur, praesertim cum constet nulla praestantiora in naturam hominum collata esse, quam sint illae notitiae, quae uirtutem efficiunt.

Postremo prodest conferre Philosophorum doctrinam ad Christianam, ut enim purpura ad purpuram collata rectius dijudicatur, ita melius intelligent Christianam doctrinam, ij, qui ad Philosophicam conferunt, & quantum inter utranq; intersit uident, Non est admiscenda Philosophia doctrinae Christianae, uerum discernere hanc ab illa non poterit nisi qui norit utranq;. Quid autem inter utranq; intersit aliqua ex parte postea indicabimus. Hactenus haec recensuimus ut scirent auditores propter quas causas hoc scriptorum genus attingere & quam inde utilitatem petere debeant. Nunc monere & hoc uisum est, uarias esse sectas Philosophorum, quia non omnes peruiderunt uerum. Sicut inter artifices alii aliis praestantiores sunt, nec pari felicitate imitantur eandem faciem Apelles & aliquis uulgaris pictor, multum enim a uero aberit uulgaris illa pictura. Ita non omnes Philosophi deprehenderunt certa ratione seu Demonstratione quid esset rectissimum. Pauci quidam animaduertunt, quorum haud dubie diuinitus animi ad talium rerum inquisitionem exuscitati sunt, in his Aristotelem iure ponimus. Postiores credo studio dissenciendi a ueteribus, leues quas

A 3 dam con

dam coniecturas non certas demonstrationes secuti,
totum doctrinae genus mutauerunt, non aliter atq; cum
geometriae collegissent certa ratione magnitudinem so-
lis, alii quidam friuolas rationes secuti dissenserunt,
ita degenerauit a uero Philosophia recencior Epicu-
reorum & Stoicorum, quorum utriq; multa contra na-
turam leuissimis coniecturis moti docuerunt. Accidit
enim & Philosophorum pueris id quod scripsit Home-

Παυροὶ γὰρ τοὶ παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέ-
λουται.

οἱ πλείονες κακίαι, παυροὶ δὲ τὰ πατρῶς
ἄρειαι.

Et haud scio an Deus permiserit hoc modo hallu-
cinari ingeniosos homines, ut ostenderet ne quidem in
naturae corporalis inquisitione uerum teneri posse, nisi
ipso monstrante. Stoici uero etiam noua uocabula ge-
nuerunt, ut quam longissime a communi sensu in do-
cendo discederent, Nos uero Aristotelem sequamur sim-
plici quadam uia & ordine ad docendum accomoda-
to seu iusta μεθόδῳ & usitatis uerbis omnia quae tra-
dere instituit proponentem. Ita fit ut quam minimum
deerret a uero, dum & ordine & simpliciter docere
studet. Est enim ueritatis oratio simplex.

DE DISCRIMINE CHRISTI-
anae doctrinae & Philosophiae.

Qui

Qui nihil inter Philosophiam & Christianam doctrinam interesse existimant, & idem doctrine genus Philosophiam ac doctrinam Euangelij esse putant, in magno errore uersantur, & tamen huic opinioni applaudunt multi magni, ut uidentur homines. Sunt alij quidam illiterati qui uociferantur præcepta Philosophica cum pietate pugnare eaq; simpliciter damnant, quæ quoniam inscitie ac stulticie suæ religionem pretextant, plane sunt, ut est in Prouerbio, ὄνοι ἄνοτες μυσήρια, quanquam autem quid sciendum sit de his studijs philosophicis, sæpe alias diximus tamen quoniam hic locus proprie id poscit, breuiter & hic sententiam nostram recitabimus.

Philosophia nihil tradit de uoluntate Dei, nihil de remissione peccatorum, nihil de timore, de fiducia erga Deum. Tantum docet præcepta de externa & ciuili consuetudine uite, sicut publicæ leges ciuitatum. At Euangelium exponit nobis uoluntatem Dei, remittit peccata, pollicetur spiritum sanctum, qui corda piorum sanctificat, & uitam æthernam affert. Interea foris sinit nos uti moribus ciuilibus, sicut cibo, potu, uestitu utimur. Et ut cibus, potus, uestitus, res corporales sunt, quæ non pertinent ad cordis iustitiam. Ita mores ciuiles, non pariunt cordis iustitiam. Proinde toto coelo errant qui nihil inter Philosophiam & Euangelium interesse iudicant. Nam Philosophia tota nihil

A 4 conti

continet nisi præcepta de externa actione, quæ, ut ita
dicam, tanquam in scena, in hac civili societate homi-
num utendum est. Euangelium uero longe alia profi-
tetur. Non enim uenit Christus in mundum, ut præcepta
de moribus doceret, quæ iam ante norat ratio, sed ut
remitteret peccata, ut credentibus in ipsum donaret
spiritum sanctum. Et tamen, ut magistratus approbat,
ita civilem consuetudinem uitæ probat, uult mores esse
civiles & humanos, hoc est, non pugnantes cum rati-
one naturali, seu cum iudicio rationis. Ut enim iudi-
cium rationis in aliis corporalibus rebus ualet, in ædi-
fizando, in numerando, ita ualet in regendis moribus
cuiuslibet.

Quamquam enim ratio de uoluntate Dei iudicare
ac statuere sine uerbo Dei, & sine spiritu sancto neque-
at, tamen est bona Dei creatura condita ad iudicanda
ea quæ sensibus subiecta sunt, quæq; ad hanc corpora-
lem uitam retinendam ac regendam conducunt, qui-
bus in rebus si quis ea quæ ratio certa demonstratione
deprehendit, aspernatur, is aspernatur Dei opus. Ma-
gis enim in ratione iudicium seu noxia de moribus,
quamquam affectus omnes uiciosi sint, & impuri, nec
obtemperent iudicio rationis, postquam natura degene-
rauit corrupta peccato originis. Haerent in natura,
amor nostri, amor uoluptatum, & similes mali affe-
ctus, quos non eximunt animis Philosophia, aut leges,
tantum

tantum reprimunt seu coercent, uult autem Deus aliqua disciplina coercenti illos etiam, qui nondum spiritu sancto gubernantur, sicut docuit paulus cum ait, Lex est iniustis posita, Ut igitur leges rerum publicarum non pugnant cum pietate ita neq; Philosophica praecepta, Sunt autem naturae & leges illae & Philosophia ipsa ex quibusdam sententijs quae diuinitus scriptae sunt in animis humanis, quas sepe uocamus leges naturae ut sunt, communem societatem esse iuuandam, neminem esse ledendum, sobolem esse alendam, parendum esse magistratibus, gratiam esse reddendam, pacta esse seruanda, uim esse prohibendam & similes aliae. Nec aliud est Philosophia, quam harum sententiarum quaedam explicatio & enarratio. Enarrant eas & iura ciuitatum, Sed Philosophi diligentius excusserunt & illustrauerunt eas. Itaq; aliquanto plura praecipunt, quam legum conditores, qui ea tantum ex naturae praeceptis excerpunt quae ad ciuium tranquillitatem & ad dirimendas controuersias necessaria sunt. Philosophi autem omnia honesta quo ad ratio perspicere potest, colligunt, etiam si quaedam non omnino necessaria sint ad pacem, ut ius publicum non cogit dare egenti cui nihil debes. At Philosophus iubet te colere beneficentiam. Iura non ubiq; ingratos puniunt. Philosophi ubiq; praecipunt gratitudinem. Ex his intelligi potest, non pugnare Philosophiam

A 4 cum

cum Euangelio, imo ut legibus publicis obtemperare rectum est, ita rectum est & Philosophicis præceptis parere, & probantur præcepta Roma. 2. uocat enim Paul. ueritatem Dei.

DIFFERUNT CHRISTIANAE ET Philosophicæ uirtutes.

Hactenus de doctrine usu diximus, unde aliqua ex parte intelligi potest, quid inter uirtutes ipsas intersit. Philosophicæ uirtutes sunt, quæ honesta opera & consentanea rationi seu legibus foris exprimunt, & efficit hæc humana uoluntas suis ipsa uiribus, sunt autem hæc in tanta imbecillitate nature & in his insidijs Diaboli exigua, quare sciendum est ita nostras uires efficiere posse honesta opera, ut ægra corpora incedere possunt, hæc enim & per se statim defatigantur, & leuiter impulsæ cadunt. Ita humane uires sæpe affectuum uehementia superantur, sæpe a diabolo precipitantur ut ruant. Nec Philosophia aduersus hæc ostendit efficacia remedia. Nam affectus eijcere ex animo ratio non potest, ut amorem gloriæ aut uoluptatum, cohercere aliquantulum potest, & quidem apparet sæpe mirari Philosophos, unde tanta sit imbecillitas, tanta malorum affectuum seuericia in animis, hanc Christianæ literæ docent ex peccato originis existere. Est enim maledictione Diuina debilitata natura postea quæ Adam lapsus est, & de diaboli insidijs solæ Christianæ

anæ

ane literæ doxent. Philosophi quanquam uiderent quosdam designare immania facinora & a communi natura abhorrencia, tamen auctorem flagiciorum talium non uiderunt. Poetas res ipsa coegit, eum nullam in natura causam tantæ immanitatis uiderent dicere, tales agitari furijs, ut in tragediis apparet. Debet itaq; nobis hoc quoq; nomine arrior esse doctrina Christiana q; tam clare ostendit nobis uiciorum humanorum causas. Deinde q; etiam remedium aduersus illa exhibet, promittit enim spiritum sanctum qui gubernet & custodiat eos qui confidunt Christo.

Christiane uirtutes proprie sunt, Timor Dei, Fiducia erga Deum, diligere proximum, deponere uoluptatum & glorie amorem, Castitas &c. Atq; hæc efficit in pijs spiritus sanctus.

Augustinus inquit se scripsisse alicubi hominem iustum esse, si uiuat secundum optimam sui partem, Id recantat deinde dicens, nondum esse iustum hominem si tantum secundum optimam suæ nature partem uiuat sed si a spiritu sancto gubernetur. Porro externam Iustitiam postulat deus ab omnib. adeoq; ab his etiam qui nõ sunt renati ex Deo. Est igitur prestanda ut sepe diximus.

Postremo hoc obseruent studiosi Philosophiam de moribus externis præcipere, Platonici imitatione Christiane doctrine finxerunt καθαρτικας uirtutes, quibus animi purgentur, sed illas nugas commentus est diabolus

diabolus ut obscuraret doctrinam Christianam, & opinionem faceret imperitis doctrinam Christianam nihil differre a Philosophia & rationis uires ad recte uiuendum & ad omnes morbos sanandos satis esse.

ARGUMENTVM PRIMI
LIBRI.

Primus liber Ethicorum docet esse aliquem finem ad quem homines proprie conditi sint, eumq; finem uocat felicitatem. Colligit autem certa demonstratione finem hominis esse uirtutem seu actionem uirtutis, quia propria actio uniuscuiusq; rei finis eius est, sicut solis illustrare mundum, finis est ac proprium opus. Hominis autem propria actio est, actio secundum uirtutem. Nam uoluptates sensuum sunt nobis communes cum pecudibus. Est igitur finis hominis actio secundum uirtutem, Et in hoc argumento fere totus primus liber consumitur, Est autem iucundum uidere quomodo ratio deprehenderit uirtutem optimum esse & preferendam esse omnibus uoluptatibus, & omnibus uite commodis, nec a uirtute discedendum esse propter ullas quamuis magnas utilitates. Erit igitur haec, si Aristotelem sequemur, prima naturae lex, uirtutem esse finem hominis, seu uirtutem pra omnibus expecti debere, atq; hinc tota uiuendi ratio petitur, Hinc apud scriptores multae sententiae trahuntur, qualis est haec apud
Demos

Demost. 1. Philip. Ego enim existimo maximam necessi-
tatem liberos turpitudinem seu dedecus ducere debere
& Iuriscō. inter iuris praecepta primum numerant ho-
neste uiuere, ut significant naturam nos docere uirtu-
tem non propter utilitates ullas, sed propter sese expe-
tendam esse, iustitiam colendam esse etiam si nulla poe-
na in iniustos constituta essent, Item utilitates omnes
esse postponendas uirtuti.

Est & hoc obseruandum q. leges naturae sunt no-
ticiae quaedam non affectus, imo ne obtemperant qui-
dem his affectus. Nemo enim uirtutem propter se expe-
tit sed premijs aut poenis mouentur omnes, Id signi-
ficauit Poeta, Et uix inuenias multis e millibus unum,
Virtutem precium qui putet esse sui.

QVA RATIONE ARISTOTELES SIT TRACTANDVS.

Aristoteles exili quodam ac tenui genere oratio-
nis usus est, & de rebus non remotis a populari sen-
su, oratione utitur non omnino populari. Itaq; saepe
interpretes propter inscitiam sermonis de uerbis rixan-
tur & non modo non expliant sententiam sed magis
etiam intempestiuis illis uerborum calumniis, obscu-
rant. Saepe quanquam sententiam assecuti sunt, tamen
quia non enarrant populari genere orationis, nec refe-
runt haec praecepta ad communem sensum & ad ciui-
lem uitae consuetudinem, procul tantum ostendunt rem
nec so

nec satis explicatam tradunt, & plerisque locis uincere subtilitate Aristotlem certant, & sententias quantumuis subtiliter propositas, magis etiam limare student, & cum id agere debebant ne uiderentur a communibus opinionibus Prudencium abhorre hęc præcepta, isti ambitione quadam quam longissime student discedere a captu aliorum hominum. ita fit ne intelligendo nihil ut intelligatur, & Philosophia non ad iudicandas ciuiles actiones comparata uideatur, sed uideatur ludus quidam esse ociosorum hominum in scholis altercantium. Nos uero pro uiribus dabimus operam & ut populari genere sermonis, & uelut pingui Minerva ea quę sunt ab Aristotele subtilius tradita explicemus, efficiamusq; ut non longissime a uulgi intellectu posita uideantur. Sic autem facilius intelligentur hęc, si sæpe communem sensum consulent auditores, & cogitabunt ad quem usum hęc præcepta inuenta sint, quomodo a natura orta & a prudentibus animaduersa sint ad formanda iudicia hominum de moribus, Eius rei subijciam exemplum, Aristoteles finem hominis esse uirtutem seu uirtutis actionem scribit, quod cum hoc modo technici dicunt a hominibus imperitis non satis intelligitur. Est enim grauissima sententia, quęq; in omni uita latissime patet, breuiter & subtilibus uerbis tradita. Erit autem magis perspicua si quis ciuiliter explicet & ostendat eo pertinere hanc sententiam,

q. na

q̄ natura humana statuat ac iudicet nihil esse melius uir-
tute, nec unquam ab honestate propter utilitates ullas
discedendum esse, nec uoluptates ullas esse contra ho-
nestatem complectendas, Nullis periculis propositis, nul-
lis cruciatibus ab honesto deflectendum esse, Recte igi-
tur Regulus fecit, q̄ ad supplicium redire quam uiolare
ius iurandum maluit. Præclare Papinianus q̄ mortem
oppetere, quam principis parricidium defendere, ma-
luit, melius Sceuola fecit etiam si in illo foco in quo am-
busta manus est consumptus esset, quam Vitellii, qui pa-
triam Tyranno expulso prodiderunt, etiam si licu-
isset illis restituto Tyranno in patria molliter uiue-
re, hæc enim nature uox in intimis scripta sensibus ani-
morum nostrorum semper hortatur nos, ne quas utili-
tates aut uoluptates uirtuti præferamus, & hic totus
locus quam late pateat, in omni uita facile est iudicare
Est autem copiose in Quinto Tuscula. Questi. & in
tertio Officiorum tractatus, tot tantasq; res complexus
est Aristoteles uno uersiculo, tanquam oraculo aliquo,
cum inquit, Virtutem esse finem hominis. Id autem
quomodo colligat supra indicauimus, & paulo post re-
petemus. Si quis ad hunc modum ciuiler explicet Ari-
stotelis sententias & iuxta Prouerbum καὶ τὰ καὶ τῶν
dicat multo clarius intelligentur ac percipientur.
Nobis hic satis est exemplum aliquod eius rei ostendi-
sse. Alii quibus ocium est similes sententias copiosius
explicent.

Regulus
Papini-
anus

expliant. Hinc etiam apparet sine Eloquentia Philo-
sophiæ lumen deesse. Fortasse profuerit etiam conferre
tales locos ad Christianam doctrinam, quæ docet non
actionem uirtutis, quæ a nobis effici potest finem esse,
Sed nos conditos esse ad gloriam Dei, & ut cognosca-
mus Deum, sed hæc alias.

Sicut in aliis artibus a notissimis & communissi-
mis incipitur, ita Aristoteles & hic a manifestis prin-
cipiis exorsus paulatim ad obscuriora progreditur, sicut
Geometria a communibus sententiis orditur omne
quantum diuidi potest. Totum est maius parte. Phy-
sicus inicio docet quatuor Elementa esse, ita principio
docet Aristoteles omnium rerum & actionum aliquos
esse fines, & unicuique rei suum finem, tanquam bo-
num quoddam esse, sicut terræ locum deorsum, igni sur-
sum, militi uictoriam, mercatori lucrum.

IN SECVNDV̄T CAPVM.

Secundo capite dicit de ordine finium, quod sit necesse
ultimum aliquem esse. Natura enim cum expetat finem
aliquem, frustra expeteret, nisi ultimum aliquem finem
attingere posset, & huius cognitio inquit, magnam uti-
litatem afferet ad uitam, ostendit enim tanquam sca-
pus uera bona maximeque expetenda, quæ nisi cognos-
cantur recte institui uitam non potest, nisi enim sensisset
Regulus

Regulus fidem maius bonum esse quam uoluptatem
nunquam ad tam horrendos cruciatus redisset.

Ideo querit ad quam artem perineat inquisitio
de fine bonorum, ut significet ad quid conducat eius
cognitio, Et enim cum ait, inquisitionem de fine bono-
rum, ad scientiam ciuitatum regendarum pertinere,
significat q̄ non modo ad priuatam uitam conducat, no-
sse finem bonorum, sed etiam ad leges ferendas ad res
publi. constituendas & regendas, ut enim in priuata ui-
ta prodest scire quod honestas anteferenda sit omnibus
utilitatibus ac uoluptatibus. Ita in ciuitatibus constitu-
endis seu gubernandis, leges & consilia principum de-
bent honestatem anteferre uoluptatibus & utilitati.
Recte igitur Athenienses animaduenterunt in
eum qui quamuis utile consilium tamen inhonestum
dederat. Preclare Thrasibulus qui in uictoria ciuili
non indulgit ire, sed pepercit uictis & sanxit ἀμυνησι
& ἄρα que lucro erat uictis, & incommoda uictoribus.
Huc spectat hic locus Aristotelis, cognitionem finis bo-
norum non tantum in priuata uita, sed multo magis
in administratione reipublice prodesse, quia idem bo-
num sit singulorum & uniuersae ciuitatis.

Apud Platonem in Gorgia est longa disputatio
que ars maxime utilis sit regentibus Respublicas, Rhe-
torica ne an Philosophia. Ad eam disputationem alludit
& hic Aristoteles & significat πολιτικὴν complecti
B & Phil

Philosophie scientiam & Rhetoricam & rei militaris scientiam .

SCHOLIA III. CAPITIS.

Tertium caput continet hanc sententiam, in disputatione de moribus non esse omnium præceptorum demonstrationem requirendam, Nos uero supra monuimus præcepta de moribus nasci ex natura & certa demonstratione pleraq; colligi, neq; id dubium est, ueram sicut in legibus tametsi & ipsæ orientur a natura quedam tamē magis ex probabilibus rationibus quam ex certa & necessaria demonstratione posite sunt, Ita & hic in quibusdam locis sequimur rationes uerisimiles non necessarias, Vt cum dicimus bona fortunæ prodesse ad fœlicitatem, alicubi fieri potest ut officiant. Non igitur omnino necessaria ratio est, cur bona fortunæ ad fœlicitatem requiriscibat, neq; necessaria ratio fuit Sceuolæ cur priuatus occiderit Tiberium Gracchum, probabilem aliquam rationem secutus est. Neq; certa ratio est in præceptis liberalitatis quantum de suo quisq; largiri debeat. Ideo monet Aristoteles alicubi necessarias rationes quærendas esse, alicubi non esse quærendas, sed homo usu peritus diiudicabit, ea quæ non habent necessariam rationem, sicut usu peritus imperator scit quando in aperto campo.

po, quando in angustiis pugnandum sit, quid deprehensus in angustiis facere debeat, nec semper generalia precepta sequetur. Postulat igitur ut qui hæc precepta discant experiantur ea in uiuendo, Et adhibeant usum, sicut et Cicerō ait, ut boni rationatores officiorum fieri possint.

SCHOLIA QVARTI
CAPITIS.

Supra docuit Aristoteles, esse aliquem ultimum hominis finem, nunc nominat. Vocat enim fœlicitatem uerum definitionem fœlicitatis nondum tradit, ac prius recitat uarias de uita beata sententias. Nam in tot erroribus hominum aliis aliud optimum uidetur, magna enim pars hominum decipitur, nec peruidet quo nos ducat natura, sed affectibus, pessimis ut inquit Plato consultiuibus obtemperat, qui plerumq; a ratione dissentiunt, quæ nos simpliciter ad honestatem uocat. Pretereain hoc capite docet aliquando ex effectibus colligi causas, ut medici cum uident inflammari corpus ratiocinantur calidas esse morbi causas, Et magna ex parte humana cognitio ex effectibus præcedentia uenatur, aliquando etiam ex causis colliguntur effectus id rariius est tametsi nonnunquam hac uia utimur. Monet autem hoc loco Aristo. se plerumq; præcepta traditurum esse, causas uero præceptorum homini prudenti aut docili, ex ipsis præceptis colligendas esse, ut cum traditur

uirtutem finem esse hominis, causa à posteriore quaeritur, scilicet ex proprio, cum sic ratiocinamur, illa actio finis est hominis, quae est eius propria. Actiones sensuum non sunt propriae hominis, sed communes homini cum pecudibus. Actio secundum uirtutem, propria est hominis. Est igitur actio secundum uirtutem finis hominis. Neque uero dissensissent Epicurei a ueteri Philosophia, si ratio posset antecedentes causas penetrare uideri, Cur uirtus sit finis hominis non uoluptas. Nam et Epicurei collatione quadam usi sunt et ex signis posterioribus finem hominis quaesierunt, Quis enim uiderunt omnes homines ultro rapi ad uoluptatem, ex hoc effectu ita sunt argumentati. Ea actio finis est ad quam ultro natura ducitur, ad uoluptatem autem omnes ultro duantur, ergo uoluptas finis est. Sunt autem decepti Epicurei in hac collatione. Nam etsi homo ducitur ad uoluptatem, ratio tamen reclamationem et improbat affectus. At dissidium huius in hominis natura causam Philosophi non uiderunt, cur affectus dissencians a ratione, Tantum Christiana doctrina ostendit.

Postremo hoc obseruandum est, quod Aristoteles monet cognitis praecipis facile esse causas animaduertere, et si quis has aut non deprehendit ipse, aut admonitus non uidet, hunc ait nihili hominem esse, iuxta Hesiodi uersiculam. Quare hi qui morum praecipia legunt sciant se causas praecipitorum debere inquirere, ille ipse

ille ipse sunt quas uocant leges nature, & hi demum naturam hominis perspectam habent, qui has causas deprehenderunt.

QVID SIT FOELICITAS.

Supra nominauit finem bonorum foelicitatem, & admonuit de nomine conuenire inter omnes, nunc res queritur, & in his erroribus humanis aliud alij foelicitatem esse iudicant, quia non sequuntur homines solum iudicium rationis, sed magna pars ex affectibus iudicat, pessimis, ut inquit Plato, consulatoribus. Sunt autem tria uitae genera, uita uoluptaria, ciuilis, & studiosa, Qui sequuntur primum uitae genus iudicant uoluptatem finem esse bonorum, Hanc sententiam ita confutat Aristoteles, Cum propria actio hominis finis sit, uoluptas non est finis, quia est communis cum pecudibus. In ciuili uita pleriq; finem bonorum iudicant esse gloriam, Hanc opinionem ita confutat, Cum gloria adpetatur ut uideamur uirtute praediti, fit ut propter uirtutem adpetatur, fatemur igitur, uirtutem prestare opinioni de ea. Item, existimatio de nobis posita est in iudicijs hominum, non in nobis, foelicitas autem debet esse proprie nostra, Eo allusit & Horatius significans uirtutem solidius bonum esse quam gloriam
Virtus repulse nescia sordide

B

3

Intamio

Intaminatis fulget honoribus
Nec sumit aut ponit seures
Arbitrio popularis auræ

Postremo docet ne uirtutem quidem esse summum bonum, sed actionem uirtutis, quia uirtus nisi gignat actiones inutilis est, actio igitur præstat. His tamen monendi sunt lectores eos qui docuerunt in uirtute collocatam esse felicitatem, non esse de otiosa uirtute locutos, sicut & nos aliquoties supra, uirtutis nomine simul & actionem uirtutis comprehendere uoluimus. Hic quoque ex Dialectica petendum est discrimen habitus & actionis, sicut enim palestra scientiam habent aliqui, tamen si nunquam exerceant, ita fingamus uirtutem in aliquo esse posse, etiam si non exerceat eam. Est autem habitus qualitas collecta ex multis actionibus, sicut enim corpora admota igni calefiunt, sicut cera tractata mollior, sic animi in multis actionibus tanquam agitati concipiunt quandam uim ad eas actiones efficiendas facilius.

DE VITA CONTEMPLATIUA.

Postremus locus est de uita studiosa quæ est eorum qui abstinere ab administratione rerum publicarum abditi in studiis literarum, & in inquisitione nature, de

ture, de hoc genere copiose disputatur in postremo li-
bro. Neq; hic pretereundum est q̄ Theologi imitati
hunc Aristotelis locum fecerunt duo vitæ genera.
Actiuum & Contemplatiuum, ea de re multe disputa-
tiones extant, Quare & nostram sententiam breuis-
ter adscribemus. Si contemplatiuam uocarent uitam
eorum qui exercentur afflictionibus, & experiuntur
motus spirituales, recte iudicarent contemplatiuam ui-
tam Christianam esse, & prestare actiue, atq; ita ue-
teres Theologi contemplatiuum genus intelligi uolue-
runt, iuxta hanc Pauli sententiam. Qui spiritu Dei
aguntur, hi sunt filii Dei, sed si intelligant contempla-
tiuam uitam esse eam quæ in studiis agitur, ea magis
Philosophica quam Christiana uita dici poterit, aut
pars quedam est actiue uitæ, Versatur enim in actio-
nibus & laboribus humanis, nempe in studiis, Christi-
ana uero cognitio, est diuinitus in afflictionibus exer-
eri & erudiri, Id fit etiam in medijs occupationibus
reipublicæ, ut in Dauide ærni potest.

SCHOLIA CAP. V.
DE IDEIS.

Hic locus de Ideis, de quo disputat in præ-
sentia Aristoteles, extat in Sexto libro Platonis, de
republica, Est autem Platonis sententia non
admodum obscura, sed ab hominibus alienis a

B 4 studio

studio eloquentiæ non satis intellecta, Nihil enim magis idonei sunt, præsertim ad Platonis Philosophiam tractandam, qui non attigerunt eloquentiæ studia, quam ad lyram Asinus, Neq; uero necesse est hoc loco repetere omnium neotericorum somnia de Ideis. Sunt qui arbitrantur hanc esse Platonis sententiam, in animis hominum esse Ideas simul natas nobiscum, hoc est, noticias aliquarum rerum, & in alijs Ideas esse aliarum rerum excitatores, sicut in Homeri mente ideam quandam boni poematis, in mente Iosquini ideam musicæ, per quam sentire ac iudicare poterat, qui soni essent suauissimi, Et ad hanc Ideam efficere optimam cantionem tanquam ad exemplum, In Cato Cesare ideam fortitudinis per quam ad fortitudinem commoueretur. In Cicrone eloquentiæ Ideam per quam senserit quæ forma orationis esset optima, quam sequutus atq; imitatus effecerit optimam orationem. In Bruti mente aliam quandam eloquentiæ Ideam insedissee quam secutus probauerit genus dicendi angustius, Et qui hoc sensisse Platonem iudicant, non negant has ideas discendo perfici, Si quis autem magnopere contenderit hanc Platonis esse sententiam, is hoc quoq; loco ita statuet, felicem esse qui habet uirtutum ideas, id est, cognatas noticias, & quidem illustriores quam uulgus habet, quæ non modo dæunt ad cognitionem, sed etiam trahant ac impellant ad agendum, sicut Imperator
fortis

fortis est, qui in animo habet a natura insitam imagi-
nem fortitudinis, cuius pulchritudine capitur, ut fortitu-
dinem adprobet, inciteturq; ad eam præstandam. Mihi
non admodum neq; a Platone abhorreere, neq; a uero
procul abesse hæc explicatio idearum uidetur. Nam per-
fecta uirtus est non quæ tantum efficitur nostro conatu,
sed ad quam etiam motu aliquo naturali commouemur
eum motum uel causam eius motus Ideam aliqui uo-
cant. Arbitrantur enim noticia quadam singulari &
excitatore quam sit in reliquis Iosquinum sentire
quid sit suauissimum, & defixum in eius consideratio-
nem efficere optimam cantilenam, Itaq; si quis hoc se-
quatur, est idea causa illius motus, quem Aristoteles
uocat $\phi\upsilon\sigma\iota\kappa\acute{o}\nu\ \alpha\gamma\epsilon\tau\eta\rho$. Sed Aristoteles concedit esse
in alijs alios motus naturales, Certe enim alio natura
ducebatur Cæsar aut Marius, quam Iosquinus, negat au-
tem alias noticias alijs a natura esse inditas, tantum com-
munes noticias principiorum, ut uocat, nobiscum nas-
ci iudicat, sed iuxta in omnibus sanis ac non monstro-
sis.

Sed manifeste apparet ex sexto de Republica Pla-
tonem ciuilius locutum esse de Ideis, & Ideam nihil ali-
ud appellasse, nisi perfectam rei cognitionem, & qui-
dem doctrina & usu comparatam, atq; confirmatam,
Et ait ideas æternas atq; immutabiles esse, quia per-
fecta cognitio uniuscuiusq; rei, perpetua est & semper

B S Iuisi

sui similes, cum intelligimus causas rei necessarias, sicut
& Aristoteles scripsit Demonstrationes esse necessarias
& perpetuas, quia continent rerum causas, quas, qui
peruidet, is penitus introspicit rem, nec falli potest, Et
quoniam ex illis causis semper easdem conclusiones
eosdem effectus sequi necesse est, ideo dicuntur perpe-
tue & immutabiles demonstrationes, Sed qui non per-
uidet causas rerum, qui nullas demonstrationes te-
net, sed a vulgo sumit opiniones is sepe turpiter falli-
tur, & ut ait Plato, non res ipsas, sed simulachra re-
rum intuetur, qualia in aqua apparent. Quid est au-
tem incertius, quid fugacius, quam imagines quas aqua
reddit? Ita indocti nihil certi de uirtutis officiis statue-
re possunt, sepe enim specie recti decipiuntur, quia
non peruident præceptorum fontes, nec pro uarietate
circumstantiarum norunt illa interpretari, ut cum ais
dit vulgus promissa seruanda esse, non interpretatur re-
gulam, sed etiam in re turpi seruandam esse putat. Ideo
Plato requirit perfectam doctrinam, & in hac foelici-
tatem collocat, quia perfecta doctrina gubernat omnes
actiones.

Errat Architectus, nisi teneat inclusam in animo
imaginem, quam in edificando imitetur. Nemo bonus
imperator existere potest, nisi comprehenderit animo
scienti

scientiam rei militaris uniuersam, in quam intus
ens omnia gerat. Nemo eloquens esse potest, nisi teneat
at eloquentiae formam, insidentem menti, ex qua iudicet,
qualis oratio sit optima. Ita uir bonus existere non potest,
nisi perfectam uirtutis notitiam teneat, quam in omnibus
deliberationibus sequatur. Tota Platonis disputatio tantum
huc spectat, ut meminerimus sine Philosophia & sine perfecta
doctrina neminem posse foelicem, aut uere bonum uirum
existere. Erant enim illis temporibus in Graecia Sophistae,
qui tantum Rhetoricam tradebant, eamque unam esse
artem docebant, ad bene praecclareque uiuendum ualem.
Hos ubique exagitat Plato, & ostendit eos nullam habuisse
firmam & certam doctrinam. Sed uulgares quasdam
opiniones, ad quas ineruditam quandam exercitationem
dicendi sine Dialectica adhibere solebant. Ideo Plato
magnifice praedicat alterum doctrine genus quod
Philosophi profitebantur, qui rerum & morum causas
& fontes iuxta Dialecticae praeccepta querebant.
Ac uero iure praedicanda est haec diligentia, sine qua
nemo de magnis rebus recte iudicare potest. Est autem
Plato grandi quodam sono orationis usus & figuris
splendidis. Has Neoterici cum non intelligerent,
somniauerunt Ideas uocari deum.

deum, & nescio quas mentes delabentes diuinitus in
hominum animos, cum Flato longe aliud senserit.
Nihil enim aliud uocat ideam, quam quod Aristoteles
speciem appellat, sed uia, si sit perfecte cognita atq;
comprehensa, si definitio, si cause perspectae sint. Ne-
q; tamen negandum est, ad perfectam noticiam conse-
quendam multum conducere, si cui contigerint natura-
les motus illi, qui ad aliquam certam artem inclinant
animum, Perfectiorem enim boni carminis imaginem
complectitur Homerus, quam Choerilus, quia a natura
ea in re adiuuatur. Et huiusmodi naturalium motuum
mentionem facit Plato in Phaedro de Idea disputans,
ubi docet perfectam noticiam ita posse contingere, si
animus excitetur naturali impetu, Nec aliud ibi signifi-
cat idea, quam alias, uidelicet perfectam noticiam &
imaginem rei inclusam animo, & iuxta Dialecticæ
præcepta comprehensam, quæ tamen in tali ingenio
perfectior erit, quod a natura adiuuatur. Porro hoc
loco grandiloquentia Platonis, & figuræ illæ Poeticæ
deceperunt interpretes, ut longe aliud docere illum ar-
bitrentur, cum hoc agat unum, ut studia hominum ad
Dialecticam inuitet, interea obiter de uarietate ingenio-
rum disputat. Si quis autem hoc modo dextre inter-
pretetur Platonem, intelliget eius sententiam non esse ab-
surdam, nec magnopere ab Aristotelis sententia dissi-
dere, id quod in fine significat etiam Aristoteles. Sicut
enim

enim perfectum Architectum dicimus, qui artis & edifi-
cicii noticiam in animo inclusam habet, ita perfecte
sapientem seu bonum uirum dicere possumus cum, qui
scientiam uirtutis perfectam mente complexus est. Et
ut Aristoteles in actione foelicitatem collocat, ita intelli-
gamus eam a Platone in illa noticia collocari, quia gignat
& gubernet actiones. Neque enim loquitur Plato
de ociosa noticia. Et fieri nequit, ut perfecta noticia
existat in eo, qui non adhibet usum, qui non agit,
non exercet eam. Nec absurdum est collocare foelicia-
tatem in noticia, nempe in habitu durabili, qui arte
hoc nomine prestat actionibus, quia regit actiones, ut
igitur Imperatorem definimus eum, qui perfectam scien-
tiam rei militaris habet, quam in rebus gerendis se-
quitur, ita uirum bonum definire possumus, qui boni
imaginem seu ideam, hoc est perfectam noticiam te-
net, quam in omnibus officiis in consilium adhibet, ac
sequitur. Quid habet incommodi Platonis sententia,
sic intellecta? Nec ab Aristotele multum dissentit, &
adparet ueram, aut certe ualde probabilem esse. For-
tassis autem de mea fide aliquis dubitet suspicans me
cuiuslibet interpretari Platonem, quam ille senserit. Ve-
rum sextus liber de Republica quem hoc in loco per-
stringit Aristoteles, manifeste testatur ideam prorsus
aliud nihil significare, nisi perfectam rei noticiam, &
ut dialectici loquuntur, demonstratiuam. Nam Plato
ut sepe

ut saepe alias, ita in illo etiam loco $\mu\alpha\sigma\iota\gamma\omicron\iota$ Sophistas hoc est Rhetores, qui profitebantur se uirtutis doctrinam tradere, cum causas rerum & fontes non inquirerent iuxta dialecticæ præcepta. Ad hæc suffragatur mihi Cicero, qui in perfecto Oratore Ideam sic intellexit, cum Eloquentiæ ideam, uocat absolutam & propriam definitionem seu descriptionem, sed dicat aliquis, cur igitur præter rem litigat hic Aristoteles cum Platone?

Fecit hoc Aristoteles, non ut stulti putant, odio Platonis, sed quadam naturæ dissimilitudine commotus. Nam cum esset ad exile orationis genus factus, & studeret proprie loqui in docendo, non potuit æquo animo ferre Tragicam illam Platonis grandiloquentiam, præsertim parum ad docendum utilem. Quare cum alias irridet Ideas, tum hic etiam exagitat, significat improprie loqui Platonem, cum unam quandam boni imaginem concipere iubet. At nulla imago boni communis substantiis & accidentibus concipi potest. Non est communis imago honestorum & utilium. Irridet & hoc q. Plato dixit inter esse inter $\alpha\upsilon\tau\omicron\ \acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\omicron\upsilon$, & $\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\omicron\upsilon$, quod ille sic uolebat accipi, multum interesse inter nudam & propriam rei cognitionem detractis circumstantiis, & inter rem cognitam qualis hæret in circumstantiis.

Longe

Longe alia res est fortitudo per se considerata, quam
qualis est in Catone, ubi propemodum pertinacia si-
milis est, Volebat autem Plato in perfecta cognitione
rudam rem cerni, non qualis in hoc aut illo sit. Sed
Aristotelem uerborum nouitas offendit. Nam omnes
qui amant exile genus orationis, natura abhorrent ab
illis ineptijs nouorum & grandium uerborum.

Quod uero Plato totam Ideam completi iubet,
non hoc uult communem substantiis & accidentibus
esse Ideam, de uirtute loquitur. Hanc totam iubet
cognoscere, & causas, & pulchritudinem hoc est
uim eius considerare, quia ad recte uiuendum neuti-
quam satis est, nosse uulgares opiniones de moribus.

SCHOLIA CAP. SEXTI.

Hic recenset quandam Pythagoræ sententiam,
qui bonum dixit unum esse, malum uero multiplex,
hoc est, ut Aristoteles ni fallor in secundo Ethicorum
interpretatur, bonum est quod una simplici & certa
ratione fit, malum uero uarium est, nempe quod a
recto quoquo modo discrepat, sicut etiam dici solet,
simplicem esse ueritatis orationem, quæ ab hac dissi-
dent falsa sunt, etiam si sint inter se dissimilia, sicut
in Mu

in Musica certa quedam uox conuenit, preter hanc qua-
lis auq; figuratur siue grandis siue exilis discrepat, iu-
stum est suum cuiq; reddere, id simplex est & unum
Varie autem alteri suum eripitur, aut ui publica aut
furto, aut per calumniam aut per alias imposturas, sic
est ciuilitate accipienda sententia Pythagore, si quis
autem querit interpretationem remotiorem, is ne in-
telligendo nihil intelligit.

Redit ad Ideas, & ostendit nec honestorum &
utilium unam esse Ideam seu noticiam, sunt enim ua-
ria bona illa, que una quadam communi imagine seu
noticia representari non possunt, Verum boni nomen
cadit in multa, uel quia referantur ad bonum finem,
sicut pecunia bona est, quia sit instrumentum uirtutis,
uel similitudine, sicut gloria, est enim opinio uirtutis. Po-
stremo hanc disputationem graui quodam argumen-
to concludit, Si Plato Ideam uocat quandam imaginem
aliqua ex parte a natura effectam, & prorsus alienam
a singularibus, cum ea non possit a nobis effici, arte
non erit in ea colloanda felicitas. Deinde correctio-
nem addit, Platonis sententiam non omnino absurdam
uideri posse, quia profit habere imaginem in quam in-
tueamur que sint bona, & que dirigant actiones ue-
lut exempla, sed retrahit calculum, sine necessaria ac-
certa ratione hoc affirmari q; quedam perfecta imago
seu noticia boni concipienda sit, aliena a singularibus
sicut nã

aut nihil prodest medico in genere intueri quid sit sanitas, sed sanitatem singulorum considerandam esse in curando.

SCHOLIA CAP. VII.

Tandem peruenit Aristoteles ad definitionem felicitatis, sed priusquam hanc recitat suo more repetit superiores propositiones, et admonet duplices esse fines, alios esse ultimos, alios esse gradus ad ultimos fines, felicitas autem ultimus quidam finis est, id est, optimum omnium quæ expetit natura, cui si quid præfertur, contra naturam præfertur, ut cum Cyrillus præferebat utilem sed turpem seruitutem honesto et iusto bello. Postea docet idem significare nomen εὐταξείας, quod felicitas significat, Adparet enim quosdam nomine εὐταξείας magis usos esse, Deinde tradit definitionem.

Felicitas est actio hominis secundum optimam et perfectissimam uirtutem in uita perfecta. Hanc definitionem maxime oportet meminisse, fons est enim reliquæ disputationis. Porro supra monuimus hic tradit quasdam communes sententias ratione deprehensas quas qui uelit possit adpellare leges nature seu ius nature. Nam ex his sententijs iura ciuitatum omnia nascuntur. Numeretur igitur et hæc definitio inter leges

C

1111

naturæ, finem hominis seu felicitàtem, quam uidelicet ratio comprehendit esse actionem uirtutis, sicut autem non uident Scythæ communem naturæ opinionem de hospitibus defendendis, mactant enim hospites uel quem admodum Turcæ non uident communem naturæ opinionem de matrimonio contrahendo, ita discessit a natura Epicurus qui uoluptatem honesto præposuit. Discedit a natura qui utilitatis suæ causa alterum defraudat in contrahendo, Sicut igitur medico utile est scire positum membrorum in corpore, sic nobis in agendo prodest scire has leges naturæ, aut saltem in iudicanda natura.

Sed hic oportet nos oculatos esse in discernenda hæc definitione a Christiana felicitàte. Nihil hic de uoluntate Dei traditur, nihil de timore Dei, nihil de fiducia erga Deum, Longe alius finis est, longe alia felicitàs est ostensa a Deo quàm ea, quam comprehendit ratio. Sic enim inquit Christus. Hæc est uita æterna nosse Deum & quem misisti Ihesum CHRISTVM, id est credere quod propter Christum ignoscat nobis & diligat nos pater, quod seruet ac iustificet nos. Non igitur est Christiana felicitàs in actione ciuili posita, sed in fide seu agnitione Dei &c. Deinde efficit Christianam felicitàtem spiritus sanctus qui perterrefacit corda, ostendit uiciosam naturam, ac rursus perterrita corda erigit cum ostendit misericordiam

diam Dei in Christo, Ita spiritus sanctus renouat hominem, inserit noticiam Dei, ut a Deo bona expectemus, inserit bonos affectus, cor humile, pacis amans, castum &c. At felicitatem quam Aristoteles definit ratio efficit, suntq; honeste actiones erga homines, quae in hac civili uita cernuntur. Quanquam autem & has actiones doceat lex Dei, sicut & natura docet, tamen errant qui Christianam iusticiam nihil aliud esse somniant quam istiusmodi actiones civiles.

Preterea in hoc capite dignum memoria est quod erudite colligit propriam actionem hominis finem esse. Tres enim uitae gradus facit. Primus est uegetatiuae uitae. Secundus est sensitiuae, Hos cum peudibus habemus communes. Tertius est uitae rationalis, Duas formas huius facit, Partim enim rationalis dicitur tantum quia obtemperat rationi, sic etiam sensus cum obsequuntur rationi ad tertium gradum pertinent, Partim dicitur rationalis q; ipsa ratio iudicat & agat sine aliorum membrorum officijs &c. Rursus ratio duo habet officia, aut enim deliberat & iudicat de moribus, aut inquirit naturas rerum, ut cum Geometrica considerat aut Astronomica. Quia uero tertius gradus homini proprius est, necesse est in eo felicitatem collocari. Debet enim felicitas esse propria hominis actio.

Requirit autem perfectam uirtutem in uita perfecta,

C 2 perfecta,

fecta, ne quis foelicem adpellet aut puerum qui non
dum iudicare potest de actionibus, aut cum qui semel
recte fecerit, Addit Prouerbiū, una hirundo non
facit uer, Tempore igitur & longo usu opus est ad so
lidam uirtutem seu foelicitatem.

DE P R I N C I P I I S.

Aristoteles admonet in fine septimi capituli, dilia
genter esse inuestiganda principia in hac arte sicut &
in alijs artibus. Nam ea demum ars dicitur, cum ex
artibus principijs ducuntur necessario ordine quedam
conclusiones, seu sententiae seu praep̄ta. Id etiam uo
carunt methodum docti homines. Sunt autem princi
pia noticiae quedam impressae diuinitus animis nostris,
quas sine doctore naturaliter tenemus, sicut naturaliter
numerare scimus, sicut naturaliter uident oculi, ita na
tura mens aernit quasdam communes sententias &c.
Dicuntur autem duplicia esse principia, alia speculati
ua, alia practica. Practica sunt quae ad mores perti
nent, ut suum cuique reddendum est, magistratibus obe
diendum est. Quae ad alias artes pertinent dicuntur
speculatiua, ut totum est maius qualibet parte.

Sunt autem natura nota principia sine doctore.
sed quod Aristoteles hic inquit, ostendi principia, alius
inductione, alius sensu, alius consuetudine, non hoc
uult

uult principia probanda esse. Natura enim ultro eis
assentatur, Et Aristoteles prudenter est usus uerbo ar
uendi, inquit enim, Cerni principia alias sensu, alias
consuetudine. Nam principia sunt uniuersales seu com
munes sententiae. Porro communes sententiae non
usurpantur nisi circa singularia, uersatur autem sensus
seu experientia circa singularia, Quare sensus seu ex
perientia reddit clariora principia. Tunc enim usur
pantur, tunc mens exercit illam suam aciem, seu natu
rale iudicium, cum experitur notitia illius usum. Re
cte igitur dixit Aristoteles, principia cerni, hoc est, cla
riora fieri, consuetudine, sensu. In materia Morali
consuetudo reddit clariora principia, melius enim ui
det uim & pulchritudinem sententiae huius, gratia pro
benefactis reddenda est, is qui consueuit reddere,
quam qui non consueuit, Nam semper perfectius in
telligimus ea quorum habemus usum. Est autem &
hoc obseruandum, omnia quae traduntur in artibus re
ferenda esse ad prima principia tanquam ad regulas
quasdam, Tunc sunt firma, tunc sunt certa cum consen
tiunt cum principis, Nam principia ita certa sunt ut
naturaliter illis assentiamur sine ulla dubitatione,
quemadmodum certa sunt quae sensu comprehendimus
Itaque monet Aristoteles in hoc loco, diligenter esse re
quirenda principia, in omni us praecipis ad principia
recurrendum esse, & addidit uenustam sententiam

C 3 prin

principium plus esse quam dimidium totius, alludens
ad prouerbium, ἀρχὴ ἡμισυ πάντος.

SCHOLIA CAP. VIII.

Paulatim Aristoteles progressus docuit esse aliquem hominis finem, & constituit quis sit ille finis. Nunc in octauo Capite nihil agit nisi ut suam sententiam aliquo modo cum aliorum opinionibus conciliet, Aliqui uirtutem, aliqui prudentiam, aliqui sapientiam dixerunt esse finem, Aliqui dixerunt uirtutem coniunctam cum uoluptate finem esse, Aristoteles has sententias inquit propemodum cum sua conuenire, quia omnes eo spectent quod finis sit in proprijs bonis hominis, non in corporis aut fortunæ bonis. Secundo non satis proprie loquuntur isti qui uirtutem finem esse docent, quia habitus in ociosis esse potest, Itaque cum actio sit præstantior, magis conuenit ut actio iudicetur esse finis, ut in olympiis coronantur illi qui decertarunt, non illi qui robore præstant.

Tertio, Voluptas cum honestis actionibus coniuncta est, Quia uoluptas est conuenientia actionis cum natura. In sensu uoluptas dicitur, quando actio conuenit sensui, ut cum contigit frigido corpori, ut rursus calefiat, sensus afficitur uoluptate, In animo dicitur uoluptas quando actio conuenit cum electione, siue erret siue

siue non erret mens in eligendo, Ea conuenientia acti-
onis cum natura, alias cum sensu, alias cum mente, di-
citur uoluptas.

Sed dicat aliquis, Si uoluptas etiam probatur hoc
loco, quid interest inter Aristotelis & Epicuri sententi-
am, Respondeo hoc interesse, Aristoteles docet uirtu-
tem esse finem, etiam si non sequeretur uoluptas, illa enim
est propria hominis actio. Epicurus uirtutem non
probat per se, sed ideo tantum quia efficit uoluptatem,
alioqui non probaturus. Qui non furantur, qui non la-
trocinantur, hi uiuunt securi, quia haec uoluptas sequi-
tur, ideo furari ac latrocinari uetat, non uetat quia
per se sint turpia. Praeterea Aristoteles uocat uolupta-
tem conscientiae adprobationem, Epicurus uoluptatem
uocat non adprobationem conscientiae, sed doloris uacui-
tatem in sensu aut animo, ideo uult expeti uirtutem non
propter se, sed quia turpitudine sensui cruciatus adfert,
cum supplicia luenda sunt, aut animo adfert dolorem,
si non adferret dolorem, non requireret uirtutem. Vi-
des ergo multum interesse inter Aristotelis & Epicuri
sententiam, Epicurus uirtutem tantum ad mercedem
refert, Aristoteles sequitur naturale iudicium rationis,
quod simpliciter docet uirtutem expetendam esse, etiam
si merces non respondeat. Ista est germana & uerissi-
ma uox naturae, quam non animaduertit Epicurus.

Quarto, in hoc capite tria bonorum genera esse

C 4 docet.

docet, Bona corporis, bona fortune, & animi bona,
& docet q, ad felicitatem requirantur preter animi bo-
na, etiam bona corporis & fortune, sed tanquam in-
strumenta finis seu uirtutis. Hic ualde flagellant Ari-
stotelem reliqui Philosophi, Disputant enim cum na-
tura sit perfecta, posse eam felicitatem efficere per se-
se. At si fortuna requiratur, natura non poterit efficere
felicitatem. Nam fortuna non est in potestate nostra,
Sed in fine huiuslibri repetetur haec questio.

Quinto, Nihil habet hoc caput admodum memo-
rabile, preter quandam communem sententiam que
sepe citari solet, Vero omnia uera consentiunt, a fal-
sis statim discrepat uerum, Magnus usus huius senten-
tie est, Nihil enim uerum esse potest, quod alicubi ab
alia uera sententia discrepat. Rursus tanta ueri uis est,
ut tota natura undiq; consentiat, Id quod tum intelligi
potest, quando uera sententia suo loco in disciplinis po-
nitur, Ibi enim est uidere quomodo consentiat cum
principijs, ad que postremo perueniendum est.

τῶ μὲν γὰρ ἀληθεῖ πάντα συνάδῃ, τὰ ὑ-
παρχόντα, τῶ δὲ ψευδῇ ταχὺ διαφωνεῖ ἀλη-
θές.

SCHOLIA CAP. IX.

Vna tantum est ratio iusta docendi, quam in una
quaq; arte methodum uocant, Vbi res certo ordine tra-
ditur,

ditur, an sit, quid sit, quas habeat causas. Primum
itaque docuit Aristoteles esse aliquem hominis finem.
Deinde exposuit quid sit, nempe actio secundum per-
fectam uirtutem. Hic querit de causis felicitatis, sit
ne felicitas a Deo an comparetur doctrina, et consue-
tudine nostra. Initio respondet ambigue, si qua bona
contingunt homini diuinitus, conuenit etiam felicitate-
m a Deo contingere. Postea addit precisionem, ait
alterius loci hanc esse disputationem, utrum diuinitus
aliquid homini contingat. Saepe autem alias diximus
Philosophiam nihil affirmare posse de uoluntate Dei
erga homines, id hoc ipso in loco fatetur Aristoteles,
dubitans an bona contingant homini diuinitus. Qua-
re nullo modo ferendi sunt, qui commiscent philoso-
phiam cum doctrina Christiana. Quid autem intersit
inter utrumque genus doctrinae, quam longis interuallis
distent, alio loco diximus. Sicut aliarum artium opera
efficere possumus, ut Architectonicae aut Geometriae,
ita ratio aliquo modo potest efficiere ciuiles uirtutes.
Nam ut Architectonices praecipua comprehendit ratio
ita praecipua de ciuilibus moribus comprehendit ratio.
Itaque Aristoteles pronunciat hic omissa disputatione de
Dei uoluntate, quod uirtus seu felicitas comparetur no-
stris uiribus. Sunt igitur causae actionum honestarum
iudicium rationis, et uoluntas obtemperans iudicio.
Adfert rationes quasdam quod felicitas nostris uiribus

C § compa

comparatur. Finis in unaquaq; natura debet communis esse omnibus, qui integris uiribus utuntur, Sed si uirtus non posset effici nostris uiribus, uerum esset a Deo, non esset communis finis omnium hominum, Ergo uirtus effici potest a nobis. Item, Quae natura aut arte fiunt sunt praestantiora quam fortuita, Ergo nec foelicitas debet tribui fortunae. Est enim absurdum summum bonum causae tribuere deteriori, nempe fortunae. Item fortuita sine nostro consilio contingunt, At foelicitas est actio animi, Ergo non contingit forte, sed nostris consilijs. Alioqui enim etiam pecudibus tribui nostra foelicitas posset. Haec in praesentia de hac questione disputat. Nam infra copiosius de causis uirtutis, de ratione, de affectibus qui repugnant rationi, loquetur. Proderit hic meminisse communes propositiones ut finis communis est omnibus indiuiduis in unaquaq; specie, & similes. Postremo quoniam in hac questione uersatur disputatio de libero arbitrio, sciendum est quod etiam scripturae iudicio ciuiliu uirtutum externa opera aliquo modo naturalibus uiribus facere possumus, sicut Geometriae aut Architectonicae opera efficere possumus, Et haec similitudo uidetur ad huius rei explanationem idonea esse. Proinde eatenus liberum arbitrium habemus, sed saepe impedimur cum uincunt affectus & rapiunt contra iudicium rationis, ut Medea inquit, Video meliora, proboq;, Deteriora feci.

ra sequor. Sæpe Diabolus impellit ne recto iudicio obtemperemus, Ita arbores tempestate impediuntur, ne ferant fructus quos naturaliter parere solent. Ceterum sicut scientia numerandi, metiendi & similes artes sunt excellentia dona in naturam hominis sparsa, ita & uirtus ciuilis est necessaria & excellens res, & prestantissimum bonum in carnali natura, Neq; tamen est iusticia æterna qua coram Deo iustificamur, Iam iusticiam æternam non potest liberum arbitrium seu ratio per se efficere.

SCHOLIA CAP. X.

Initio sententia Solonis refellitur, neminem beatum adpellandum esse ante mortem, & additur Dialectica ratio, necesse est propositionem de preterito ueram, habuisse aliquam de presenti ueram, Quare necesse est ut aliquo uita tempore beatus dici potuerit is quem post mortem dicimus beatum. Deinde constituit foelicitatem non pendere a fortuna, alioqui beatus uelut Chamæleon quidam esset, hoc est, subinde mutabilis. Tertio quanquam sint uarie fortune uices, tamen aliquis poterit existere beatus, quia uirtus est stabile quiddam, & infortunia non excutiunt eam beato, Lucet enim in his uirtus, Et hic comparat bonum uiro cubo, qui quoquo modo ceciderit semper consistit

Ita uir

Ita uir bonus in omni fortuna stat erectus. Quarto
addit correctionem proximæ sententiæ, Magna infor-
tunia quæ proorsus impediunt honestas actiones, trans-
ferunt beatum ad infœlicitatem, Verum id non fit fa-
cile. Hic flagellant Aristotelem Stoici, qui contendunt
à sola uirtute pendere fœlicitatem fortunam nihil ha-
bere potestatis in sapientem, dicunt sapientem in tau-
ro Phalaridis collocatũ beatum fore, Sed Aristoteles ci-
uilliter intelligendus est, fœlicitatis causam præcipuam
esse uirtutem, sicut in textu inquit. Sed instrumentum
est fortuna, quæ si impedit actiones, aliquo modo offi-
cit fœlicitati, sicut faber habet causam præcipuam ar-
tem, tamen si instrumenta desint, impeditur ars aliquo
modo, Præcipua pars manet, etiam si gradus aliquis
desit.

SCHOLIA CAP. XI.

Præfatur dicendum esse de uirtute, sed uirtutem de-
finiri non posse, nisi antea natura hominis consideretur,
sicut & Medico opus est tenere corporum naturas.
Porro supra etiam admonuit tres esse gradus uite,
Vegetatiuum, Sensitiuum, & Rationem. Harum par-
tium & hic mentionem facit, & tamen partitur homi-
nem in duo, in partem rationalem, & partem irrati-
onalem. Irrationales partes sunt, uegetatiuum, &
sensi

sensitivum. Nam experientia testatur appetitus aduersari rationi. Rationalis pars est proprie iudicium. Est autem duplex irrationale, uegetatiuum quod prorsus ratione non potest regi, sensitivum quod tamen patitur regi. Ita duplex etiam est rationale, alterum quod in se rationem habet, scilicet iudicium uel mens, alterum appetitus, quatenus rationi obtemperat, siue sequatur cognitionem sensus, siue sequatur cognitionem intellectus.

Extat in fine huius libri sententia. Ratio depreatur ad optima. Sic. n. uulgo citatur. Hanc allegant isti, qui liberum arbitrium, seu uires humanas inmodicis laudibus uehunt. Et haud scio an disputationes de synteresi, quam sic uocant, ex hac sententia male intellecta, nate sint. Nam inepti homines ubiq; somniant, iusticiam christianam tantum esse ciuiles mores, itaq; admiscere philosophiam Euangelio, tanquam nihil inter haec intersit.

Saepe autem diximus, humanis mentibus diuinitus inscriptas esse quasdam de moribus ciuilibus noticias. Haec manserunt etiam in corrupta natura. Noticiam uero de uoluntate dei certam non habet ratio per sese. Ad haec affectus ne quidem ciuilium morum praecipis obtemperant. Proinde Aristotelis sententia tantum accipienda est de noticia, et quidem

quidem ciuiliū morū, non de noticia dei, non de uoluntate, aut appetitu aliquo. Ac uero uerba Aristotelis significant eum tantum de noticia loqui. ὁρθὸς γὰρ ἡγῶν ἐπὶ τὰ εἰλτισα παρακαλεῖ recta ratio ad optima hortatur. Nam cum ait recta ratio certe intelligit ueram noticiam, seu iudicium, Et hortari uerbum est mōentis, non pertinet ad uoluntatem, seu appetitum, seu affectus. Ad hæc ut largiamur aliquos honestos affectus in aliquib. existere, hi tantum ad ciuilia officia impellunt, Certe timor dei, ac fiducia erga deum, non existunt naturaliter in humanis animis. semper præsentib. rebus mens humana confidere mauult, quã dei misericordiæ, ac promissionibus, Semper odit iudicium dei, ac mallet non subire iudicij periculum. Recte igitur dixit Aristoteles, si intelligatur de ciuilibus moribus locutus, de his. n. recte præcipit nobis ratio tametsi natura in tanta imbecillitate non satis gauiter obtemperet. Fingamus eadem uerba legislatorem in republica dicere. q. optima ciuibus imperet. Vere hoc prædicare Cæsar in legibus suis potest, sunt. n. digna laude ciuilia officia, eaq. deus etiam, ut sepe dixi, ab omnibus exigit. Neq. tamen sequitur, tales mores absoluere Christianam iusticiam. Neq. hoc sentiebat Cæsar cum leges ferret. Sic igitur ratio præcipit de ciuilib. officijs optima, ut interea nihil de uoluntate dei statuatur, imo etiam de ea hallucinetur

hallucinetur, ut docet scriptura cum ait, Omnis homo mendax Significat enim neminem recte de deo sentire, neminem timere deum, aut confidere Deo.

Sed ex sententia Pauli, prudentia carnis mors est, uidetur sequi aut nullam existere bonam noticiam in natura, aut illas noticias, non esse furandum, non esse occidendum, & similes leges naturæ, malas esse, Si quis igitur hoc modo ratiocinetur prudentia carnis est mors, Philosophia seu noticia de morib. ut non esse furandum, etc. est prudentia carnis. Ergo est mors. Ad hæc ita respondeo. Totum argumentum cor. cedere dum esse. Nam iudicium naturale caret uera dei cognitione, & honesta opera quæ ratio per se efficit, fiunt impuro corde, quod ignorat deum, non timet deum, non confidit deo, sed confidit rebus presentibus. Non igitur uiuificant nos nec sustentant nos cū a deo iudicamur, naturale illud iudicium, aut ciuilia officia. Et uacare metu dei ac fiducia erga deum sunt uere peccata. Quare ciuilia officia sunt immunda. Et tamen exigit Deus, ut præstentur Sunt enim coercendi impij, Atq; ipsa quidem officia bona sunt, quia deus ea exigit, sed quia fiunt ab impuris, contagione contaminantur. Non recte accipiunt Paulum, qui arbitrantur prudentia carnis tantum illas cupiditates significari, quas ratio etiam improbat ut libidines, auariciam, ambitionem

ambitionem. Paulus non de imprudentia hominis,
sed de prudentia loquitur, hanc ait uacare noticia dei
timore dei & fiducia erga deum.

IN SECVN-

DVM LIBRVM.



VM IN DEFINITIONE
felicitatis in primo libro mentio
facta sit uirtutis, res postulabat ipsa
ut de uirtutis natura, ac partibus
deinceps diceretur, Proinde in hoc
secundo libro definitur uirtus, et quaeruntur eius causae, et enumerantur species. Nec alius liber ullus inter hos discentibus utilior est. Saepe autem admonui, quam adferant utilitatem hi libri Aristotelis. Cum enim omnia negocia in dicendo ac iudicando referantur ad locos communes uirtutum ac uiciorum, conuenit locos illos non tantum obiter attingere sed penitus introspicere, ut perfectas eorum formas inclusas in animo circumferamus, ut statim offerant se nobis cum opus est. Et nemo ignorat opus esse praeceptis de moribus

moribus. Quidam autem ita putant se tenere precepta cum aliquot gnomas excerptas ex autoribus trahere congererunt. At hi nullam perfectam & solidam doctrinam habent de moribus. Fontes & causas preceptorum & quatenus pateant horum regiones cognoscere oportet. Est enim certa quedam ars de moribus, quæ precepta & preceptorum causas habet in natura positas, sicut Arithmetica, & aliæ artes certa precepta, & causas preceptorum habent. Nec de officijs in hac communi uita, nec de legibus recte iudicare poterit is qui non adhibet perfectam artis noticiam ad illas communes sententias quæ excerpuntur.

Sunt aliæ multe causæ quæ inuitare studiosos debent. Est quedam uoluptas uidere, quomodo in natura scripta sint precepta de moribus. Et cum in nobis deprehensa sunt intelligere quod dei creaturæ & mandata sint, quod hæc doctrina diuinitus ostensa sit. Proinde magnificanda est, & inter præstantissima dei opera numeranda.

Prodest etiam uidere quousq; natura certa demonstratione progredi possit in iudicandis moribus, ne inepete commisceantur doctrina Christiana et philosophica. Atqui melius intelliget discrimen Christianæ doctrinæ

D

E

et philosophia, qui nouit utramque. Nam Christiana doctrina de uoluntate dei, de timore, de fide erga deum ita precipit, ut neque πολιτείαν, neque οικονομίαν euertat, sed potius ut firmissime muniat has. Pertinet autem philosophia, ad politicam et ciuilem, seu externam uitae actionem, quam adprobat Christus. Sed ne praefatio longior iusto sit, redeo ad Aristotelem.

In initio causam uirtutis quaerit, utrum nobiscum nascatur, an alio modo contingat nobis. Magna enim inter doctos de hac re controuersia fuit, Quaedam ingenia tam fera sunt, ut non possint arte aliqua curari, Itaque contenderunt nonnulli uirtutem non posse comparari nostra industria. Contra, alij uiderunt in quibusdam proficere culturam, quare senserunt industria nostra, uirtutem parari posse.

Diuidatur hic uetus illa controuersia, et ostenduntur breuiter causae uirtutis. Sunt autem causae iudicium rationis, et uoluntas sequens illud iudicium, et mouens ad recte agendum, Crebrae actiones pariunt habitum, is uocatur uirtus. Itaque non nascitur nobiscum uirtus, sed effiatur ex rectis actionibus. Actiones autem sunt aliquo modo in nostra potestate, ita aliquo modo nostrae potestatis est uirtutem comparare. Multum ad perspicuitatem ualet Aristotelis collatio

latio, Docet enim ita uirtutem comparari nostris acti-
onibus, sicut artes comparantur. Pictor fit crebro pin-
gendo, faber fit saepe fabricando, Poeta fit uersus sae-
pe scribendo. Ita censet Aristoteles uirtutem effici si
quis adsuescat recte facere. Sed tamen ut nemo siue
singulari naturæ dote fit bonus poeta. Ita ut fiat
perfecta uirtus oportet in animis existere singulares
quosdam motus naturales. Hos uocat Aristoteles
φυσικὰς ἀρετὰς, hæ quoq; ad perfectam uirtutem
requiruntur, Sed hæ non sunt similes in omnibus, si-
cut non omnes iuxta sunt ad poeticam idonei, ideo
non assequuntur omnes perfectam uirtutem, Sicut pau-
ci euadunt boni poetae, et tamen nemo est qui non
queat tantum discere ut quales quales uersus faciat.
Ita nemo est qui non aliqua, ut ita dicam, simulachra
uirtutis efficere possit.

Hæc satis sit de causis uirtutum dixisse. Proderat
huc conferre ea quæ traduntur in sacris literis de
causis uirtutum. Sed satis sit admonuisse quod Christi-
ana doctrina præcipit honestas actiones etiam ab impijs
fieri, iuxta illud, Lex est pædagogus &c. Gignunt
autem actiones habitus quosdam, at uidemus bene
institutos atq; educatos, tractabiliore esse. Fiunt. n.
habitus quidam morum, ut artium in nobis natura-
liter, neq; hoc adimit naturæ doctrina Christiana Non

igitur improbat hæc quæ de causis uirtutum traduntur
ab Aristotele, sicut neq; leges ciuitatum improbat. Verum
inter ea tradit has uirtutes coram deo non esse
iusticiam sed uiciosas esse. Item docet alias quas-
dam a spiritu sancto in animis effici. Fiunt enim
naturaliter honestæ actiones, sed metu pœne Item
fiducia humanarum uirium. Item sine timore dei,
sine fide erga deum, &c. Contaminantur igitur acti-
ones alioqui honestæ, sed de his alias.

Sed ut Aristoteles clare ostendat quomodo uir-
tutes efficiantur, comparat eas cum artibus. Nam
facilius intelligi potest artes esse habitus quosdam, q̄
uirtutem esse habitum. Sic igitur inquit, quemadmo-
dum artes gignuntur in nobis, ita gignuntur & uirtu-
tes. Artes autem ab experimentis, hoc est, actioni-
bus oriuntur. Ita consentaneum est ex actionibus
uirtutem nasci. Docet itaq; duplex esse habitus.
Quidam sunt intellectus, ut Ars quæ est mechanicorū,
Prudentia noticia de moribus Scientia cognitio est
speculabilem. Alij sunt habitus, ut ipsi uocant mo-
rales uirtus & uitium, Hi dicuntur esse uoluntatis
proprie.

Obiter monet duplex esse potencias quedam
non possunt adsuescieri, ut uegetatiuum. hæ dicuntur ir-
rationales

racionales, Alie possunt adsuescieri. hæc dicuntur ratio-
nales, aut rationi obtemperantes. Item obiter dispu-
tat uirtutes uersari circa uoluptates & dolores, de
qua re infra iterum dicet. Item hortatur ad exercitati-
onem, quæ non modo ad uirtutem comparandam con-
ducit, sed prodest etiam ut iudicare melius de præcep-
tis possimus. Nam hæc ars uersatur circa singularia,
nempe circa actiones, Non possunt igitur omnia, ut in
alijs quibusdam artibus certa demonstratione compre-
hendi, Sæpe circumstantiæ efficiunt, ut a communi-
bus præceptis aliquo modo discedendum sit, Hic usus
docebit. ideo inquit πᾶς τῶν πρᾶκτῶν λόγος
τῷ τῷ καὶ οὐκ ἀκριβῶς ὀφείλει λέγεσθαι.

Supra quesitum efficientem causam uirtutis nunc
genus uirtutis querit, enumeratione earum rerum
quæ solent in anima existere & permanere. Ac in
tuo proponit membra partitionis, Tria sunt in ani-
ma, Affectus, potentia, habitus. Hanc partitionem
magnopere conducit meminisse præsertim quia aliqua
ex parte hic affectuum natura aperitur. Est autem
affectus uel breuis motus, uel durabilis motus, pro-
sequens ea quæ bona uisa sunt, aut fugiens ac depellens
ea quæ mala uisa sunt, Et habent affectus organa in na-
tura, ut cor, et alia membra, quæ cientur affectibus tan-
quam uenis. Sicut cutis icta uulneratur ita mouetur cor ali-

qua re commoda aut incommoda oblata, cum res nocitura offertur cor fugitans sanguinem ad se contrahit, ideo pallescant extrema. Quando irascitur animus effervescent bilis & inflammatur sanguis circa cor, Ita singuli adfectus in natura causas & instrumenta habent, & sunt naturales quidam motus, qui excitantur cum sensus aut ratio statuit obiectum esse commodum aut incommodum. Hi motus subseruiunt illi qualicumque cognitioni & ab ea excitantur. Docet autem Aristoteles quod uirtus non sit affectus, quia affectus innascuntur, uirtus non innascitur. Item, nemo laudatur de affectibus, At de uirtute laudamur. Est autem de affectibus magna dissensio Stoicis cum Aristotele. Nam Stoici improbant omnes affectus, Aristoteles quia naturam improbare non potest nec affectus improbat, Videt enim hos nobiscum nasci. Sentit igitur affectus quaedam naturae beneficia esse, quia sint instrumenta agendi, seu calcaria extimulantia ad agendum, Nisi mortis metu commoueremur, non quaereremus uictum, Nisi irasceremur non defenderemus uitam nostram, & aliorum qui nobis commissi sunt.

Sententiam stoicorum multi, credo nouitate commoti, mirifice probauerunt & in his est Augustinus etiam, Sed multae rationes sunt quae ostendunt eam prorsus a natura abhorreere. Natura enim non potest esse
sine

sine adpetitione. Nam ut fames & sitis eximi nature
non possunt, ita ridicula est Stoicorum ratio qui conan-
tur affectus ex natura euellere, sed nos paucis indicabi-
mus quid Christiano sentiendum sit. In homine sunt
duplices affectus, Quidam omnino a ratione dissenti-
unt ut ambitio, inuidia, & similes. Hos esse uitio-
sos non est dubium. Oriuntur autem a peccato originis,
quod efficit ut nihil queramus seu adpetamus nisi no-
strae utilitatis aut uoluptatis causa. Alij sunt affectus
rationi conuenientes, ut amor parentum erga liberos
liberorum erga parentes, coniugum inter se, amor
erga benemeritos & amicos. Hi affectus dicuntur
σοφῶν φρονησῶν. Nec oriuntur a peccato originis,
sed sunt creature dei, sicut oculi, aures. Itaq; & Pau-
lus tanquam monstrosos arguit homines ἀσώφους
Rom. .i. Et cum ait. Si quis suorum non habet curam
deterior est gentili, ut Medea naturalem beneuolenti-
am exuit, cum discerpserit fratrem. Nunc autem cum in
natura corrupta hereant affectus alioqui boni & con-
sentientes rationi, contaminantur & ipsi, Plerumq;
.ii. alij affectus dissentientes a ratione, uincunt, Item
culpatur naturalis beneuolentia parentum erga libe-
ros quia est sine amore dei. Habent igitur hoc uitij
σοφῶν φρονησῶν, & q; sunt sine amore dei, &
sine timore dei, & quod uincantur amore utilitatis
aut uoluptatis nostrae, ut est in Medea uidere, &

D 4 tamen

tamen sunt incunabula ciuiliu uirtutum, presertim cum sunt acriores, sicut amor filie, que patrem condemnatum in carcere uberibus suis aluit, tales impetus uere sunt singularia dei dona. Preterea nullo modo conuenit stoica sententia cum Euangelio, ut incerti quidam arbitrantur. Nam spiritus sanctus non liberat nos affectibus sed novos affectus inserit, sic enim scriptum est, Spiritus conuiscit aduersus carnem, Malos affectus & repugnantes legi seu rationi iugulat, σοφίας φρονήσις reddit puriores, & aciores efficit, Ad hæc novos affectus parit fiduciam erga deum, timorem dei. Postremo Christiane uirtutes uere sunt ipsi affectus insiti a Spiritu Sancto, sicut docet Paulus cum uocat eas fructus Spiritus. At ciuiles uirtutes non sunt affectus sed habitus qui regunt et moderantur affectus naturales, tametsi interdum habitus uires accipiat ab affectu. Nam is habitus firmior est qui similes habet in natura affectus, ut facilius regit equum sessor non repugnantem. Ideo autem omnis disciplina instituta est, leges condite sunt, ut affectibus imperare adsuescamus. Ea consuetudo parit habitum. Proinde ex uarietate affectuum sumitur distributio uirtutum, quia uirtutes omnes tradite sunt ut affectus gubernent.

Haec tenus de natura affectuum diximus, & ostendimus

dimus uirtutes ciuiles non esse proprie affectus, Nam affectus præcurrunt rationem, uirtus non præcurrit. Quid autem non sint potentiæ facillime intelligi potest quia potentiæ nascuntur nobiscum, At uirtutes non nascuntur nobiscum, sicut neq; artes. Reliquum est igitur a sufficiente enumeratione, ut statuamus uirtutes esse habitus.

CAP. VI.

DE ARITHMETICA ET GEOMETRICA PROPORZIONE.

In methodo colliguntur ordine partes definitionis. Supra genus deprehensum est. scilicet habitus. Nunc queruntur differentie, sumuntur autem differentie plerumq; ab obiectis & officijs. Idem hic fit quia, uirtutes omnes uersantur aut circa affectus, aut circa contractus, eo q; moderantur, ideo constituit hic differentiam, mediocritatem seruare tum in affectibus tum in contrahendo, Nunc igitur definitio magna ex parte deprehensa est. uirtus est habitus, qui mediocritatem seruat tum in affectib. tum in contrahendo. ut moderari iram, timorem, fortitudo est, moderari uoluptatum cupiditatem modestia, & temperantia.

Extant in poetis & alijs scriptorib. multe Me-

D S

diocri

mediocritatis laudes. Sic. n. semper homines eruditi & prudentes iudicauerunt, uirtutem mediocritatem, seu moderationem quandam esse in dictis & factis, quæ motus animi, quæ cupiditates, quæ omnia consilia, quæ deniq; uniuersam hanc uitæ consuetudinem gubernet. Ideo laudatur illud in Comœdia, Nequid nimis. & placet uersiculus, Omnibus adde modum, modus est pulcherrima uirtus. Et illud. Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, Quos ultra citraq; nequit consistere rectum. Sed quorsum attinet multa testimonia ascribere, cum in promptu sint omnibus, Sed unum atq; alterum duxi recitandum esse, ut intelligi possit, Aristotelem sumpsisse definitionem, a communi quadam sententia prudentum hominum, Et melius intelligi potest, quomodo in communi uita, hac definitione utendum sit, cum ad aliorum sententias comparatur, sicut illa uox, Ne quid nimis, monet nos, ut mediocritatem in omnibus rebus conseruemus, ita hæc Aristotelis definitio præcipit, ut iram, ut alias cupiditates moderemur, ut, quid deceat singulis locis ac temporibus, obseruemus. Magna laus peripateticæ sectæ iudicanda est, quod omnes uirtutes ad mediocritatem refert, quia sine ea nihil decet. Et quamuis bonæ res etiam amant modum quendam. Nimis dulcia fastidiunt sensus, nimium ornatum in oratione repudiant aures. Nimia seueritas odiosa est, nimia lenitas ac facilitas, ingrata est

est . In oratione delectant ioci sed si desit modus ,
petulantia aut scurrilitas erit . Adeo nihil habet gra-
tia , quidquid sine modo sit . Hoc cum in omni uite
genere meminisse conuenit , tum maxime illi qui gu-
bernant res pub. moderari iracundiam, & alias cu-
piditates debent . Laudatur C. Caesar , quod in uictoria
iram ac dolorem suum moderatus sit . Ea res longe
maiores fortitudinis laudem habet quam uictoria ipsa .
Sylla uituperatur , quod in uictoria superbus & cru-
delis fuerit . Itaq; iure predicatur Maximilianus , qui
cum fuerit in omni uita moderatissimus , hanc uocem ,
Halt mas , ita habuit in delitijs , ut usurpauerit pro
suo symbolo , Solent . n . principes ueteri more , tanq̃
sua quedam symbola passim scribere , certa dicta , ali-
us alia de re , sicut Augustus scripsit . ω ε υ δ ε β γ α δ ε ω ε
que uox etiam ad mediocritatem conseruandam hor-
tatur .

Sed redeo ad Aristotelem . Is monet in uirtuti-
bus mediocritatem non nimis exacte intelligen-
dam esse , sed ut iuris consultorum more loquar
εν πλαττει . Ipse sic ait , medium sumendum esse
quo ad nos , non quo ad naturam , hoc est , quod pro ua-
rietate temporum nobis uidetur conuenire . Nec idem
semper est medium omniū actionum . In dandis elemo-
synis plus largietur opulentus , quam pauper . In pu-
niendo non utetur simili lenitate , aut seueritate iudex
semper

Semper sed pro uarietate personarū ac temporū, uaria
consilia capiet, Aristoteles ad hanc rem declarandam,
ab Arithmetiis quandam similitudinem mutuatus est.
que recte intellecta, magnam lucē huic causse adfert.
Sæpe autem sumunt & Plato & Aristoteles similitu-
dines ex Arithmetica & Geometria, quia he artes
illis temporibus tradebantur omnib. ingenuis pueris.
Nemo erat qui pingere figuras literarum didicerat,
qui non una percipisset elementa istarum artium.
Quæ cum omnibus familiariter nota essent, & a
prima puericia tractate, similitudines inde, ut ex
rebus notissimis, sumptæ, mire illustrabant alias ob-
scuras causas.

Cum uirtus inter duo uiciofa extrema uersetur,
que defectum uocant, & excessum. Semper que-
rendum est medium inter id quod parum est, &
illud quod multum est, ut inter timiditatem & auda-
ciam uersatur fortitudo. Inter auariciam aut sor-
des, & prodigalitatem uersatur liberalitas. Inter
hec inquit Aristoteles sumendum esse medium non
secundum rem, sed secundum nos. Vocat autem me-
dium secundum rem, quod undiq; iuxta distat ab ex-
tremis, ut in circulo centrum iuxta distat a circumfe-
rentia. Medium secundum nos uocat, quod alias
propius accedit ad alterum extremorum quod uir pru-
dens

dens alias aliter sumendum iudicat. Non utitur iudex pari severitate ubiq; alias propius debebit accedere ad severitatem, alias remissior videri, pro temporum & circumstantiarum uarietate.

Et quia Aristoteles medium secundum rem esse dicit, quod Arithmetica proportione sumitur, exponendum est, quid sit Arithmetica proportio, quantum requirit hic locus. Nam latissime patet hæc res si quis totam uelit explicare,

Proportio est duarum quantitatum collatio ut comparatio 4 ad 2 dicitur proportio dupla. Hinc plurium proportionum inter se comparatio oritur, cum non tantum duas, sed plures quantitates inter se conferimus, Hæc uulgo appellatur proportionabilitas, nouo uocabulo. Nam ueteres nominant comparationem proportionum seu rationum. Aristoteles tantum utitur nomine ἀραλογίας, quod proportionem significat. Arithmetica proportio est cum tres termini ita ponuntur, ut medius aequalibus numeris & excedat primum, & excedatur ab ultimo. Sic .n. hoc loco accommodat, Aristoteles ut Hic .2.4.6. medius numerus binario & excedit primum, & uincitur a extremo, iuxta igitur ab utroq; distat, non aliter atq; centrū iuxta distat undiq; a circumferentia. Negat Aristoteles hoc modo sumendum esse medium inter multum

tum & paucum. Vt enim Medicus errauerit in præscribenda uictus ratione, si cum 10. nimium esse putet, 2. parum, sumat 6. Nam fieri potest, ut neq; hic numerus conueniat, tametsi Arithmetica proportione medius sit. Nam in uirtutibus sæpe mediocritas propius accedit ad alterum extremorum. ut Fabij fortitudo ad timiditatem propius accedit. Marij fortitudo dimittentis cum Cimbris accedit magis ad audaciam. Si Arithmetica proportionem sequeremur, tantumdem oporteret Irum & Croesum largiri, quia nihil requiritur hic, nisi ut medius numerus ab utroq; distet equalibus numeris. quæ sit dissimilitudo Iri & Croesi, nihil ad Arithmetica proportionem. Hæc non tantum postulat, ut termini equalibus numeris distent. Si Arithmetica proportione aurum & argentum diuidendum esset, nulla rerum fieret comparatio, tantum equali pondere aurum & argentum distribueretur. Paulus inquit equalitatem bonorum inter christianos esse debere, Hoc si proportione arithmetica intelligeretur, non liceret plus possidere principi quam plebeio. Repudiatur igitur hic Arithmetica proportio. quia medium in uirtute alias aliter sumitur.

Quomodo igitur deprehendi medium in tanta uarietate poterit? Aristoteles eius rei iudicium ad sensum communem reijcit. Sicut artifices omnes student

dent quandam mediocritatem custodire inter multum & paucum, ut pictores in formis corporum pingendis. oratores in oratione ornanda, ita in morib. animaduer- tit uir prudens quid deceat inter multum & paucum. Sic. n. inquit. ἡ φύσις τοῦ μέσου ἀρ εἰν σοχασία καὶ natura ipsa mediocritatē deprehendit. Sed hæc me- diocritas Geometrica proportione est æstimanda. Est autem Geometrica proportio, cum termini non distant equalib. numeris, sed conferuntur equalibus proporti- onibus ut sicut se habent 8 ad 4 ita habent se 6 ad 3. nam utraq; proportio est dupla. Ita usurpatur propor- tio in præscribenda uictus ratione. Sicut sano cuius sto- machus multa concoquit, una libra carnis præbenda est, ita laboranti δυο πειρία semilibram præberi cõ- ueniet. Hic non eadem diuersis personis multa sunt, aut pauca. Ad hunc modum cū uirtus uersetur inter dese- ctum & exuperantiam, non debet intelligi similis dese- ctus aut exuperantia in singulis. In genere animad- uertit ratio certā quandam inter defectum et exuperan- tiam mediocritatem. Sed hanc pro proportione dese- ctus & exuperantie uariat, & aut ad defectum aut ad exuperantiam propius accedit. Sicut se habent Cræ- si facultates ad Iri facultates, ita sit in largiendo pro- portio. Si igitur Cræsi facultates sint 9 Iri 3 cum Cræ- sus largietur. 3. Iri largietur. 1. Marii fortitudo di- micantis cum Cimbris accedit propius ad audaciam.

Eobij

Fabii fortitudo detrectantis pugnam cum Anniba-
le propius ad timiditatem accedit. Et tamen uterq;
medium tenuit, uterq; fortiter & preclare fecit. Iux-
ta proportionem. Sicut se habent Maris opportuni-
tates & causse ad pugnandum, ita se habent
Fabii opportunitates ad contandum, uterq; igitur
mediocritatem seruat. Primum uidebat Marius
necessario pugnandum esse. Quia Cimbri tantum
terrorem incusserant uniuersae Italiae,
ut si pergerent, nemo obsisteret usquam, Et iam
expediti barbari pergere decreuerant. Norat
etiam pugnae genus, Magna impetu ruunt in
pugnam Barbari, qui tamen cito languescit, si ho-
stis non statim cesserit. Ad haec nullos seruant
ordines. Cum igitur Marius & causam pugnan-
di necessariam habuerit, & rationem gubernandi
periculi animaduertit, fortiter fecit commisso pre-
lio, tametsi consilium propius ad audaciam accedat
quia ualde periculosa cum tanta multitudine & cum fe-
rocissima gente dimicatio fuit. Contra Fabius expende-
bat tres exercitus populi Ro. amissos esse, domi non
esse reliquos milites, qui remp. defendere possent, si
qua clades esset accepta, Annibali non tantum au-
daciam ex secundis rebus, sed uires etiam creuisse
excessione Campanorum. Ad haec sciebat sibi cum
hoste tali rem esse, qui consilium uiribus addebat.
ad haec

ad hæc uidebat eum in aliena terra paulatim frangi
posse, interclusis comitatibus modo bellum extrahere
tur. Deniq; multas causas habuit, cur non con-
fligeret. Fortiter igitur fecit, tametsi uideatur ti-
midius consilium fuisse. Neq; tamen reprehendi
potest, quia non abiicit arma, ut timidi solent,
nisi q̄ discessit ab hoste, sed eum singulari magnitu-
dine animi secutus circumfedit, & per occasionem
carpsit hostilem exercitum sine periculo. Ad hunc
modum sumitur in uirtutibus mediocritas pro pro-
portione. Sicut, quanq̄ in genere quedam mediocri-
tas in uictu præscribitur, tamen medicus aliter sa-
nos, aliter egrotos tractat. Arithmetica proportio
tantum æqualia numerorum spacia considerat. Geo-
metrica corrigit illa spacia pro proportione per-
sonarum.

DE DEFINITIONE VIRTUTIS.

Ego in libris officiorum M. Ciceronis defini-
ui uirtutem hoc modo. Virtus est habitus qui incli-
nat ad agendū secundū rectam rationem. Hac definiti-
one magis usus sum quam Aristotelica, quia facilius
arbitrabar eam ab imperitis intelligi, præsertim quæ
Aristoteli non legissent. Et tamen non dissentit ab

B Aristo

Aristotelis definitione, si quis eam diligenter expendit. Nam honestarum actionum causae sunt, iudicium rationis, quod ostendit quid deceat in moribus, et uoluntas obtemperans iudicio. Verum Aristotelis definitio aliquanto longior est. Ego in illa breui definitione tantum attigi officium uirtutis. Aristoteles et officij modum obiectum complexus est, qui addidit uirtutem eiusmodi habitum esse, qui affectus, qui motus animi ad mediocritatem flectat.

Sed priusquam Aristotelicam definitionem explicamus, admonendus est lector, ut methodum obseruet. Nam etiam si nulla causa esset alia, cur hunc librum amaremus, tamen ideo legendus et iuuenibus proponendus esse, quia iuste methodi exemplum continet, quod in aliis argumentis, in alijs artibus imitari poterant. Nam in omnium rerum atque causarum explicatione necesse est methodum tenere. Sicut nauae suum cursum ad certis stellis dirigunt, ita in docendo dirigenda est oratio ad illa praecipua quae in dialectica de methodo traduntur.

Saepe autem dixi, artificem methodi neminem esse meliorem Aristotele. Vide quomodo ad definitionem uirtutis quasi per gradus quosdam accesserit. Et praecedens fere causis aut fontes sequentium

cont.

continent, aut certe molliorem aditum ad sequentia
praebent, initio secundi libri quaesuit efficientes causas
virtutis, postea de genere disputat, utrum virtus sit ha-
bitus, an affectus. Deinde deprehenso genere, quaerit
differentiam, Hanc sumpsit ab officio seu obiectis
videlicet talem habitum esse virtutem qui nos
cogat in actionibus et affectibus mediocritatem quan-
dam conseruare. Nunc cum membra definitio-
nis paulatim conquisuerit, totam definitionem reci-
tat, his uerbis. Virtus est habitus electiuus in me-
diocritate secundum nos consistens, arte ratione,
quemadmodum uir prudens iudicabit. Non est
opus repetere quid habitum uocet, aut cur habitus
sit genus uirtutis, ceterae particulae quarum conge-
ries differentiae loco ponitur, exantienda sunt. Quod
addit, electiuum, graeca phrasis est, eaque sola particula
reddit obscuram definitionem, quia est aliena a con-
suetudine latini sermonis, Significat autem electiuus,
idem quod electione, id est consilio, seu certo iudicio
seu certa deliberatione, non casu, non natura uolens seu
suscipiens actionem. Nam ut apud latinos consulto
fieri dicuntur ea quae neque naturaliter neque casu fiunt,
sed certo consilio, arte ratione seu deliberatione, ita
Aristoteles usurpat προαίρεσις certa deliberatione
aliquid uelle, in libro tertio diligenter disputat de
natura huius uocabuli, ubi constituit προαίρεσις esse

uoluntatis actionem, sed talem quæ certo iudicio, cer-
to consilio suscipitur. Talem .n. oportet esse uir-
tutem, quæ ad agendum inclinât cum iudicio, quæ
sequatur rectam rationem, quam ratio pro loco ac
tempore moderetur. Catonis constantia non est
uirtus, sed naturalis quædam duricia ac pertina-
cia. Ideo retinet eam Cato, etiam cum non oportet.
Vera constantia habet $\omega\gamma\omicron\alpha\iota\gamma\epsilon\sigma\tau\iota\varsigma$ hoc est liberam
electionem quæ fit iudicio, et alius aliter pro uari-
etate circumstanciarum agit. Magis laudanda
est in bello ciuili Ciceronis constantia, quam Catonis,
Cicero cum quidem constanter fuisset honestiores
partes secutus discessit ab armis, postq̄ uidit ex utili-
tate publica esse ut uicti cederent uictori. Cato
propter pertinaciam instaurauit bellum, cum uiribus
nullo modo par hosti posset esse. Præterea stulti sepe
casu boni aliquid faciunt. Sed quia sine iudicio faci-
unt, alienum est a laude uirtutis, et statim sunt
dissimiles sui, Neq; .n. diuturna sunt, quæ non con-
stant certa ratione. Sed de hoc toto loco quid sit Ele-
ctio seu $\omega\gamma\omicron\alpha\iota\gamma\epsilon\sigma\tau\iota\varsigma$ in tertio libro copiosius disputa-
bitur, tamen si uideor mihi iam satis dixisse de ea.
Nec plura lector prudens, ut opinor, requiret.

Reliquæ partiæ definitionis supra sunt expo-
site. q̄ uirtus in mediocritate secundum nos uersetur
Namen

Nam Aristoteles collocat singulas uirtutes inter duo uiciosa extrema, ut inter timiditatem & audaciam uersatur fortitudo. Quod addit, certa ratione regi uirtutem, causa ponitur uirtutis. Porro certa ratio uel a lege nature sumitur, uel ex probabilibus rationibus que a lege nature non dissentiant. Nam leges nature fontes sunt omnium deliberationum de moribus. Et quia sunt perpetue, certa iudicanda sunt, que cum his consentiant. Et huius rei iudicium tamen ad prudentem uirum reijcitur, qui pro uarietate circumstantiarum uidet, ubi mediocritatem constituere debeat. Nam ut non est facile attingere scopum in iaculando, ita nec facile est medium in deliberando deprehendere. Quoquo modo aberraueris, peccabis. Nam multis modis a recto discedi potest, Rectum autem certa regione circumscriptum est. Ideo dixerunt Pythagorici, Malum infinitum esse. Bonum finitum. Sicut autem aiunt magistratum animam esse legum, easque pro uarietate temporum debere aut mitigare aut exacerbare, ita Aristoteles in hac definitione non indicat tanquam certum punctum mediocritatis, sed permittit uiro prudenti, ut suo iudicio medium constituat.

Postremo iterum monendus est lector, ut conferat Aristotelicam definitionem cum nostra, quam fere in ore habemus. Virtus est que secundum rectam rationem

tionem agit. Videbit. n. & Aristotelem mentio-
nem fecisse recte rationis, Tantum adiecit officij mo-
dū de seruanda mediocritate, quē nos sine dissimulamus
maxime propter eos, quibus Aristoteles ignotus
est.

DIVISIO VIRTU-
TVM.

Prudentiam non numerat Aristoteles inter
uirtutes, quia est iudicium, quod nec malis deest. Et
hic uocantur uirtutes tantum hae quae proprie ad uolun-
tatem pertinent. Collocantur autem singulae inter de-
fectum & exuperantiam, & hoc ordine recensentur.

Timiditas. Fortitudo. Audacia.

Temperantia. Intemperantia. hic defectus
non habet nomen usitatum, quia non sepe in eam par-
tem peccatur.

Sordes. Liberalitas. Profusio.

Μεγροπρέπεια. Magnificentia. Ineptie, uel
Εαυχυσία, nam Εάναυτος significat opificem manu-
arium, & metaphoricè, incultum & uastum homi-

nem. & amantem luxus qualis fuit Romae Antonius.
banctirer.

Humilis animus. Magnitudo animi, Fastus.

Cupiditas honoris. Ambitio.

Lentus animus. Mansuetudo. Iracundia.

Dissimulatio. Veritas. Vanitas. seu Iactantia.

Insulitas. Urbanitas. Scurrilitas graece βωμολοχία. Nam βωμολόχος significat scurram. estq; factum nomen a βώμοσ ara. & λέχομαι cubo quia in sacrificijs iuxta aras carnem aut aliud quid dam petebant, Et sic proprie cantores aut ridiculi nugatores uocabantur, qui adhibebantur in ferijs ut delectarent eos qui ad sacrificium conuenerant. Sicut & in germania ad solennia sacrificia & meratus confluunt histriones, Et quia isti a sacrificantibus stipem petebant, sic appellati sunt, inde generaliter pro scarris uocabulum usurpatum est.

Morositas. Amicicia. Assentatio.

Gratitudo. Ingratitudo.

Sopor.

Verecundia.

Impudentia.

B

4

Nemo

Nemesin uocat uirtutem, quæ malis irasci so-
let, præsertim cum ex fortuna indulgentia fiunt inso-
lenciores & superbiores, sicut interdum sancti in
scriptura stomachantur quod malis bene sit. Sed de
hoc motu animi quid sacre literæ doceant alio loco
dicemus. Si Aristoteles ciuilitè intelligatur, decet Ne-
mesis magistratus, quos conuenit non nimium len-
tos esse in puniendis improbis.

Iusticia. Iniusticia nomine ueniunt omnia
uicia pugnancia cum iusticia, ut Fraus. Violentia
Crudelitas. Negligencia.

Sic numerantur uirtutes ab Aristotele. Cicero
in officijs contrahit eas in pauciora genera. Sub be-
neficencia liberalitatē & magnificentiam complectitur.
quarum alteram Aristoteles tribuit priuatis, alte-
ram principibus. ad modestiam, uerecundiam, urbani-
tas, mansuetudo, pertinent. Et quia ambitio
cum modestia pugnat, hic quoq; de honorum cupidi-
tate disputatur. Ad hunc modum obseruabit pru-
dens lector ad quod genus apud Ciceronem singule
referendæ sint.

Nec sine ratione uarie uirtutum species factæ
sunt. Et Aristoteles longa enumeratione earum
rerum circa quas uersantur humane actiones, nu-
merum uirtutum colligit. Ego ut hunc locum popu-
laribus

laribus uerbis explicem, sequar genera quae apud
Ciceronem extant, & ostendam ex quibus orientur fon-
tibus, quae ex re intelligi poterit, cur docti homi-
nes plures uirtutes numerauerint. Constat hominem
ad ciuilem societatem conditum esse, ad hunc finem
plerumque actiones hominum spectant. Munit igitur ci-
uilem societatem Iusticia, quia punit improbos defen-
dit bonos & regit contractus. Nec possunt exerce-
ri iudicia, nec constitui contractus et pacta ulla sine
ueritate. Ergo haec etiam iure inter uirtutes nume-
ratur. Fortitudo comitatur iustitiam quia latrocinia
& uim depellit. Huc pertinet & Beneficencia seu li-
beralitas, neque enim ciuilem societatem retineri potest, ni-
si quaedam etiam gratuita officiorum commutatio
existat. Hanc sequitur gratitudo, quam intelligunt natura-
liter omnes se debere pro accepto beneficio. Ad
hunc ordinem amicitia pertinet, quae intelligenda
est, mutua quaedam inter certos & beneuolentia,
& officiorum communicatio, quae sic in hac uita
necessaria est, sicut magistratus, aut aliae res ciuiles.
In Euangelio caritas aliud quiddam est, nam haec
praestanda est, etiam si non sit mutua. Amicitia res
est ciuilem nempe domestica quaedam & familiaris
coniunctio, quae non potest esse cum multis.

Est & pietas necessaria ad societatem huma-
ni generis retinendam, uel parentum erga liberos,

E

S

uel

uel liberorum erga parentes & omnes qui iuxta con-
lendi sunt, ut parentes. Reliquæ uirtutes circa
priuatam uitam uersantur, & moderantur cupidi-
tates, Modestia cohercet libidines. Temperantia
assuefacit, ut cibo & potu sic utamur, ne leda mus na-
turam. Ita numerus uirtutum sumitur partim ex ac-
tionib. quibus communis societas hominum continetur
partim ex priuatis officijs quæ ad nature conseruatio-
nem necessaria sunt. Neq; uero hæc ita accipien-
da sunt, tanquam uirtus utilitatis causa colenda sit.
Sed hac usi sumus distributione $\pi\alpha\chi\upsilon\tau\epsilon\rho\rho\upsilon$ ut
aiunt, ab effectibus colligentes numerum uirtutum
ut non ideo ueritas tantum colenda est quia nece-
ssaria est in iudicijs & contractibus, Sed multo
magis, quia natura hoc præcipit, quia hæc lex in om-
nium hominum animis scripta extat, ut ueritatem
colant.

IN CAP. VIII.

In fine huius libri generale præceptum tradi-
dit uenustissimis uerbis. Cum difficile sit attinge-
re medium, operanda est ut tamen non procul
a medio discedamus, & cum non possimus optima
consequi, ea tamen teneamus quæ minimum habent
uicij, ipse usus est his uerbis $\epsilon\pi\alpha\iota\ \omicron\upsilon\pi\ \tau\omicron\upsilon\ \mu\acute{\epsilon}\sigma-$

σοϋ

σου τυχεῖν ἄκρως χαλεποῦ, κατὰ τὸν δευτέρου
φασί, πλοῦν τὰ ἐλάχισα, λιπέτεον τῶν κακῶν
Altera navigatione, inquit quasi dicat. Erat optan-
dum ut secundi uenti deferrent nos ad medium. Sed
quia hoc uix unquam contingit, tamen non omit-
tenda est altera navigatio, hoc est, ut destituti uen-
tis, nauim remis impellamus. ut pro uiribus tamen
ad meliorem conuincatur, ut si quis dicat. Si ingeni-
um mihi foelicius contigisset, sine magno labore mul-
tum profecissem. Sed quia contigit mediocre,
sarcendum est assiduitate id quod nature deest. ca-
est tanquam altera navigatio. Nam ὁ ἐξ εὐρίας
πλοῦς πρῶτος dicitur, Et δευτερος πλοῦς, ὅτι
ἀποτυχῶν τισ' εὐρίου, κώπαις πλεῖ sic enim
scribit Suidas.

Haecenus enarrauimus praecipuos locos ho-
rum librorum. Primus continet grauissimam disputatio-
nem de fine hominis. Secundus definitionem uirtu-
tis, praeterea obiter hic de affectibus diximus. Atque
haec uelut elementa philosophiae moralis existimari
debent. quae si quis diligenter cognouerit, ut nullum
alium fructum hinc auferat, certe melius intelliget
pleraque scripta Ciceronis, quae cum ex his fontibus
manauerint, non satis intelliguntur ab illis, qui philo-
sophiae prorsus rudes sunt. Si sensero hunc laborem
studiosis gratum esse, adiciam per ocium reliquos
libros

libros. Interea, si qui tamen hoc studio delectantur, cum hæc inicitia philosophiæ moralis ex Aristotele cognouerint, quod reliquum est, sumant a Cicerone Superest, n. ut singula uirtutes definiantur, & tradantur de singulis præcepta. Id Ciceroni officium præstitit. Et interea cum hæc leguntur, sæpe cogitandum est, omnia uera ac certa præcepta, omnes definitiones certas uirtutum, leges esse nature, atq; adeo diuinas. Nam uera est sententia Iurisperitorum, ius nature diuinum esse.

Nam hæc disputationes tantum ostendunt, quomodo hæc leges diuinitus sint in natura scriptæ, Illud etiam meminere lector, Philosophiam pertinere ad ciuilem uitam. Longe alia res in Euangelio agitur, nequis commisceat Euangelium & Philosophiam, ut uideo plerosq; fecisse, qui somniarunt Euangelium nihil esse, nisi quædam de moribus præcepta.

Quantum in hac persuasione mali sit, nemo consequi dicendo potest. Ego igitur toties admoneo, ut prudenter discernatur Euangelium a Philosophia. Arana res est & longe supra conspectum rationis posita Iusticia fidei, qua statuimus qd propter Christum habeamus placatum patrem, qua Deum agnoscimus, & confidimus nos ab eo defendi & seruari. Hæc docet Euangelium quid de Deo sentire debeamus. Interea iudicium de ciuilibus moribus, rationi humane

omni

committit, Sicut committit nobis curam ualeudinis & si-
milium corporaliu reru, Sed inter artes omnes
quas humana ratio deprehendit nulla prestantior est,
quam hac de causis uirtutum, deq; ciuilibus officiis do-
ctrina. Ex hac leges reru publi. ex hac humanitas
omnis, que proprie sic uocatur, orta & propagata est
Itaq; non leuiter reprehendēdi sunt hoc tempore hi, qui
cum earum artium, que humanitatis appellatione con-
tinentur, studia profiteantur, has disputationes de uir-
tute negligunt, cum pleręq; alie artes ex his aut deri-
uatae sint, aut certe ornatae. Quantum hinc sumit Elo-
quentia, quantum Iurisperiti? Quare uelim studio-
sos adolescentes hanc doctrinam degustare, nec aliam
ob causam sumpsit hunc enarrandi laborem, nisi ut stu-
dia aliorum uel adiuuarem, uel saltem commouerem.

Nolui delictos lectores immodicis commenta-
riis ab Aristelis lectione absterre, quare precipuos
auctoris locos delegimus, eosq; quantum in ista breuita-
te licuit, popularibus uerbis exposuimus, ple-
raq; consulto pretermisimus, que dili-
gens lector facile sine inter-
prete assequetur.

F I N I S.



IMPRESSVM VVITTEMBERGAE
PER IOSEPHVM CLVG.
1529.

Pon. Vg 3717
8°

ULB Halle


3

002 053 160



geb. 1958 clk.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

